

Nec clarum vestis splendorem purpureai,  
 Quid dubitas, quin omne sit hoc rationis egestas?  
 Omnis cum in tenebris præsertim vita labore?  
 Nam veluti pueri trepidant atque omnia cæcis  
 In tenebris metuunt, sic nos in luce timemus  
 Interdum, nihilo quæ sunt metuenda magis, quam  
 Quæ pueri in tenebris pavitant, finguntque futura.  
**Hunc** igitur terrorem animi tenebrasque necesse est,  
 Non radii solis, neque lucida tela diei  
 Discutiant, sed naturæ species ratioque.

**Ex lib. VI. v. 1145.**



Principio caput incensum fervore gerebant,  
 Et duplicitis oculos suffusa luce rubentes,  
 Sudabant etiam fauces intrinsecus atro  
 Sanguine, et ulceribus vocis via septa coibat:  
 Atque animi interpres manabat lingua cruento,  
 Debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.  
 Inde ubi per fauces pectus complerat, et ipsum  
 Morbida vis in cor moestum confluxerat ægris,  
 Omnia tum vero vitai claustra lababant.  
 Spiritus ore foras tetrum volvebat odorem,  
 Rancida quo perolent projecta cadavera ritu,  
 Atque animi prorsum vires totius, et omne  
 Languebat corpus, leti jam limine in ipso.

In fluvios partim gelidos ardentia morbo  
 Membra dabant, nudum jacientes corpus in undas:  
 Multi præcipites lymphis putealibus alte  
 Inciderunt ipso venientes ore patente.  
 Insedabiliter sitis arida corpora mersans  
 Aequabat multum parvis humoribus imbre.

Octavoque fere candenti lumine solis,  
 Aut etiam nona reddebat lampade vitam.  
 Quorum si quis, ut est, vitarat funera leti  
 Ulceribus tetris, et nigra proluvio alvi,  
 Posterius tamen hunc tabes letumque manebat.  
 Aut etiam multus capitis cum sæpe dolore

Conruptus sanguis pletis ex naribus ibat.

Nec ratio remedii communis certa dabatur:

Nam quod aliis dederat vitalis aeris auras

Volvere in ore licere, et cœli templa tueri,

Hoc aliis erat exitio letumque parabat.

Nam quicumque suos fugitabant visere ad ægros

Vitai nimium cupidi, mortisque timentes,

Pœnibat paullo post turpi morte malaque

Desertos, opis expertis incuria mactans,

Lanigeras tamquam pecudes, et bucera sæcla.

Nec poterat quisquam reperiri, quèm neque morbus,

Nec mors, nec luctus tentaret tempore tali.

Exanimis pueris super exanimata parentum

Corpora nonnumquam posses retroque videre

Matribus, et patribus natos super edere vitam.

Omnia denique sancta deūm delubra replerat

Corporibus mors exanimis, onerataque passim

Cuncta cadaveribus celestum templa maneant,

Hospitibus loca quæ complerant ædituentes.

Nec jam relligio divūm, nec numina magni

Pendebantur: enim præsens dolor exsuperabat.

Nec mos ille sepulturæ remanebat in urbe,

Ut pius hic populus semper consuerat humari,

Perturbatus enim totus trepidabat, et unus

Quisque suum pro re consortem mœstus humabat.

Multaque vis subita et paupertas horrida suasit.

Namque suos consanguineos aliena rogorum

Insuper exstructa ingenti clamore locabant,

Subdebantque faces, multo cum sanguine sæpe

Rixantes potius, quam corpora desererentur.

### C. Valerius Catulus.

#### — LUCTUS PASSERIS.

*Lugete ó veneres, cupidinesque,*

*Et quantum est hominum venustiorum;*

**Passer mortuus est meæ puellæ,**  
 Passer delitiæ meæ puellæ,  
 Quem plus illa oculis suis amabat.  
 Nam mellitus erat: suamque norat  
 Ipsam tam bene, quam puella matrem:  
 Nec sese à gremio illius movebat,  
 Sed circunsiliens modo hoc, modo illuc,  
 Ad solam dominam usque pipilabat.  
 Qui nunc it per iter tenebriscosum  
 Illuc, unde negant redire quemquam.  
**At** vobis male sit, male tenebræ  
 Orci, quæ omnia bella devoratis;  
 Tam bellum mihi passerem abstulitis,  
 O factum male, o miselle passer,  
 Tua nunc opera meæ puellæ  
 Flendo turgiduli rubent ocelli.

### De nuptiis Pelei, et Thetidos.

Hæc vestis priscis hominum variata figuris  
 Heroum mira virtutes indicat arte.  
 Nanque fluentisono prospectans litore Diaæ  
 Thesea cedentem celeri cum classe tuetur  
 Indomitos in corde gerens Ariadna furores.  
 Necdum etiam, seseque sui tum credidit,  
 Utpote fallaci quæ tum primum excita somno  
 Desertam in sola miseram se cernit arena.  
 Immemor at juvenis fugiens pellit vada remis,  
 Irrita ventosæ linquens promissa procellæ,  
 Quem procul ex alga moestis Minois ocellis,  
 Saxeæ ut effigies bacchantis prospicit Evœ,  
 Prospicit, et magnis curarum fluctuat undis,  
 Non flavo retinens subtilem vertice mitram,  
 Non contecta levi velatum pectus amictu.

Sed neque tum mitræ, neque tum fluitantis amictus  
 Illa vicem curans, toto ex te pectore, Theseu,  
 Toto animo, tota pendebat perdita mente.  
**Ah** miseram assiduis quam luctibus externayit  
 Spinosas Erycina serens in pectore curas !

Illa tempestate ferox, et tempore Theseus  
 Egressus curvis è litoribus Pireai  
 Attigit injusti regis Gortynia tecta.

Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo  
 Regia, quam suaveis expirans castus odores  
 Lectulus, in molli complexu matris alebat:  
 Qualeis Eurotæ progignunt flumina myrtos;  
 Aurave distinctos educit verna colores:  
 Non prius ex illo flagrantia declinavit  
 Lumina, quam cuncto concepit pectore flammam  
 Funditus, atque imis exarsit tota medullis,  
 Heu misere exagitans immitti corde furores,  
 Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces.

Inde pedem sospes cum laude multa reflexit,  
 Errabunda regens tenui vestigia filo,  
 Ne labyrinthis è flexibus egredientem  
 Tecti frustraretur inobservabilis error.  
 Sed quid ego a primo digressus carmine, plura  
 Commemorem? ut linquens genitoris filia vultum,  
 Ut consanguineæ complexum, ut denique matris,  
 Quæ misera gnata fleret desperita luctu,  
 Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem?  
 Aut ut vecta ratis spumosa ad litora Diæ?  
 Aut ut eam tristi devictam lumina somno  
 Liquerit immemori discedens pectore conjunx?

Quænam te genuit sola sub rupe leæna?  
 Quod mare conceptum spumantibus expuit undis?  
 Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,  
 Talia qui reddit pro dulci præmia vita?

Nulla fugæ ratio, nulla spes, omnia muta,  
 Omnia sunt deserta, ostentant omnia letum.

Annuit invicto cœlestum numine rector,  
 Quo tunc et tellus, atque horrida contremuerunt  
 Æquora, concussitque micantia sidera mundus.

**XXVI.****M. Valerius Mart. lib. XII. epig. LXI.**

Majæ Mercurium creastis idus.

Augusti reddit idibus Diana.

Octobres Maro consecravit idus.

Idus sæpe colas et has et illas,

Qui magni celebras Maronis idus.

**Ex ejusd. Apophoretis.**

Accipe facundi culicem, studiose, Maronis,

Ne nugis positis, arma virumque canas.

**Ex ejusd. lib. VIII. ep. LVI.**

Sic Maro nec Calabri tentavit carmina Flacci,

Pindaricis posset quum superare modos:

Et Vario cessit romani laude cothurni,

Quum posset tragico fortius ore loqui.

**Ex eodem libro.**

Temporibus nostris ætas cum cedat avorum,

Creverit et major cum duce Roma suo;

Ingenium sacri miraris abesse Maronis,

Nec quemquam tanta bella sonare tuba?

Sint Mœcenates, non deerunt, Flacce, Marones,

Virgiliumque tibi vel tua rura dabunt.

Jugera perdiderat miseræ vicina Cremonæ,

Flebat et abductas Tytirus aeger oves.

Risit Tuscus eques, paupertatemque malignam

Reppulit et celeri jussit abire fuga.

Accipe divitias, et vatum maximus esto:

Tu licet et nostrum, dixit, Alexin ames.

Astabat domini mensis pulcherrimus ille,

Marmore fundens nigra falerna manu:

Et libata dabat roseis carchesia labris,  
 Quæ poterant ipsum sollicitare Jovem:  
 Excidit attonito pinguis Galatea poetæ,  
 Thestylis et rubras messibus usta genas.  
 Protinus Italiam concepit, et Arma virumque,  
 Qui modo vix culicem fleverat ore rudi.  
 Quid Varios, Marcosque loquar, ditataque vatuum  
 Nomina, magnus erit quos numerare labor?  
 Ergo ero Virgilius, si munera Mœcenatis  
 Des mihi. Virgilius non ero, Marcus ero.

### Ovidius lib. I. Amorum.

Tytirus, et segetes, Æneaque arma legentur,  
 Roma triumphati dum caput orbis erit.

### Ex ejusd. Trist. lib. II.

Et tamen ille tuæ felix Aeneidos auctor  
 Contulit in Tyrios arma virumq[ue] toros.  
 Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,  
 Quam non legitimo fœdere junctus amor.  
 Phyllidis hic idem, teneræque Amaryllidis ignes  
 Bucolicis juvenis luserat ante modis.

### Carmina quæ a plerisque Augusto adscribuntur.

Ergone supremis potuit vox improba verbis  
 Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,  
 Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?  
 Ah scelus indignum: solvetur littera dives?  
 Et poterunt spectare oculi, nec parcere honori  
 Flamma suo? dignumque operis servare decorem?  
 Pulcher Apollo veta, Musæ prohibete latinæ,  
 Liber et alma Ceres sucurrite: yester in armis  
 Miles erat, vester docilis per rura colonus,  
 Nam docuit, quid ver ageret, quid cogeret æstas,  
 Quid daret autumnus, quid bruma novissima ferret.  
 Arbuta formavit, sociavit yitibus ulmos,  
 Curavit pecudes, apibus sua castra dicavit.

Hæc dedit, ut pereant? ipsum si dicere fas est:  
 Sed legum servanda fides: suprema voluntas  
 Quod mandat, fierique jubet, parere necesse est:  
 Frangatur potius legum veneranda potestas,  
 Quam tot congestos noctesque diesque labores  
 Hauserit una dies; supremaque verba parentis  
 Amittant vigilasse suum, si forte furenti  
 Erravit in morte dolor: si lingua loquuta est  
 Nescio quid, titubante animo: non sponte, sed altis  
 Expugnata malis, odio languoris iniqui:  
 Si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas  
 Troja suas, iterum cogetur reddere voces?  
 Ardebit miseræ post vulnera vulnus Elisæ?  
 Tam sacrum solvetur opus? tot bella, tot enses  
 In cineres dabit hora nocens, et perfidus error?  
 Huc huc Pierides nemorum per lustra sorores  
 Tendite, et ardentes ignes fluvialibus undis  
 Mergite, ne pereat tam clari Musa poetæ,  
 Flammaque vanescat: vivat Maro clarus in orbe,  
 Ingratusque sibi. Sed quod male jusserrat ille,  
 Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vitæ.  
 Immo sit æternum, tota resonante Camœna,  
 Carmen: et in populo divi sub nomine nomen  
 Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

### Ex Juvenalis Satyra XI

Conditor Iliados cantabitur, atque Maronis  
 Altisoni dubiam facientia carmina palmam.

### Ex Virgilii Catalectorum X.

Villula quæ Syronis eras, et pauper agelle,  
 Verum illi domino tu quoque divitiae:  
 Me tibi, et hos una mecum, quos semper amavi,  
 Si quid de patria tristius audiero,  
 Commendo, in primisque patrem. Tu nunc eris illi,  
 Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

## XXVIII.

## Virgilius, Egloga I., cui nomen Tityrus.



M. Tityre, tu patulæ recubans sub tegmine fagi  
Sylvestrem tenui musam meditaris avena:  
Nos patriæ fines et dulcia linquimus arva.

T. Melibœe, Deus nobis hæc otia fecit  
Namque erit ille mihi semper Deus, illius aram  
Saepè tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.  
Ille meas errare boves, ut cernis, ipsum  
Ludere, quæ vellem, calamo permisit agresti.

M. Et quæ tanta fuit Romam tibi causa videndi?

T. Libertas, quæ sera tamen respexit inertem,  
Candidior postquam tondenti barba cadebat:

Respexit tamen, et longo post tempore venit.

M. Mirabar quid mœsta Deos, Amarylli, vocares, (1)  
Cui pendere suâ patereris in arbore poma:  
Tityrus hinc aberat: ipse te, Tityre, pinus,  
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

M. Fortunate senex, hic inter flumina nota,  
Et fontes sacros, frigus captabis opacum.  
Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes  
Hyblæis apibus florem depasta salicti,  
Saepè levi somnum suadebit inire susurro:  
Hinc altâ sub rupe canet frondator ad auras:  
Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes,  
Nec gemere aeria cessabit turtur ab ulmo.

T. Antè leves ergo pascentur in æthere cervi,  
Et freta destituent nudos in littore pisces:  
Antè, pererratis amborum finibus, exul  
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,  
Quam nostro illius labatur pectore vultus.

M. En unquam patrios longo post tempore fines,  
Pauperis et tuguri congestum cespite culmen

(1) El Brocense y otros leen en vez de Amarylli, Galatea, y así se explica mejor.

- P**ost aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?  
**I**mpius haec tam culta novalia miles habebit?  
**B**arbarus has segetes: En quod discordia cives  
**P**erduxit miseros: en queis consevimus agros.  
**I**nsero nunc, Melibœe, pyros, pone ordine vites:  
**I**te meæ, quondam felix pecus, ite capellæ.  
**T.** Hic tamen hac mecum poteris requiescere nocte,  
**F**ronde super viridi: sunt nobis mitia poma,  
**C**astaneæ molles, et pressi copia lactis:  
**E**t jam summa procul villarum culmina fumant,  
**M**ajoresque cadunt altis de montibus umbræ.

### **Ex Egloga II, cui nomen Alexis.**

**F**ormosum Pastor Corydon ardebat Alexim,  
**D**elicias domini: nec, quid speraret, habebat.  
**T**antum inter densas, umbrosa cacumina, fagos  
**A**ssiduè veniebat: ibi haec incondita solus  
**M**ontibus, et sylvis studio jactabat inani.  
**O** crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,  
**N**il nostri miserere, mori me denique coges.  
**N**unc etiam pecudes umbras et frigora captant,  
**N**unc virides etiam occultant spineta lacertos:  
**T**hestylis et rapido fessis messoribus æstu  
**A**llia serpyllumque, herbas contundit olentes.  
**O** formose puer, nimium ne crede colori.  
**A**lba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.  
**L**ac mihi non æstate novum, non frigore defit:  
**N**ec sum adeo informis, nuper me in littore vidi,  
**Q**uum placidum ventis staret mare: non ego Daphnaim,  
**J**udice te, metuam, si nunquam fallit imago.  
**I**pse ego cana legam tenerâ lanugine mala,  
**C**astaneasque nuces, mea quas amaryllis amabat.  
**R**usticus es, Coridon, nec munera curat Alexis:  
**E**heu, quid volui misero mihi? floribus Austrum  
**P**erditus, et liquidis immisi fontibus apros.  
**T**orva leæna lupum sequitur, Inpus ipse capellam:  
**F**lorentem cytisum sequitur lasciva capella:  
**T**e Corydon, o Alexi: trahit sua quemque voluptas.  
**A**spice, aratra jugo referunt suspensa juvenci,

Et sol crescentes decedens duplicat umbras:  
 Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit!  
 Invenies alium, si te hic fastidit Alexis.

### Ex egloga III, cui nomen Palæmon.

- M. Dic mihi, Damœta, cujum pecus? an Melibœi?  
 D. Non, verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.  
 M. Quid Domini facient, audent quum talia fures?  
 D. Si nescis, meus ille caper fuit: et mibi Damon  
     Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.  
 M. De grege non ausim quicquam deponere tecum:  
     Est mihi namque domi pater, est injusta noverca:  
     Bisque die numerant ambo pecus, alter et hœdos.  
 D. Necdum illis labra admovi, sed condita servo.  
     Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.  
 P. Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba:  
     Incipe Damœta, tu deinde sequere Menalca.  
     Alternis dicetis: amant alterna Cameenæ.  
 D. Ab Jove principium, Musæ, Jovis omnia plena:  
     Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbris,  
     Arboribus venti: nobis Amarylidis iræ.  
 M. Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis,  
     Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.  
 D. Qui legitis flores, et humi nascentia fraga.  
     Frigidus, o pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.  
 M. Cogite oves pueri: si lac præceperit æstus,  
     Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.  
 P. Non nostrum inter vos tantas componere lites:  
     Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

### Ex egloga IV, cui nomen Pollio.

- Sicelides Musæ, paulò majora canamus.  
 Non omnes arbusta juyant, humilesque myrica.  
 Si canimus sylvas, sylvæ sint consule dignæ.  
 Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:  
 Magnus ab integro sæclorum nascitur ordo.  
 Jam redit et virgo, redeunt Saturnia regna:  
 Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Tu modò nascenti puer, quo ferrea primùm  
 Desinet, ac toto surget gens aurea mundo,  
 Casta fave, Lucina: tuus jam regnat Apollo.  
 At simul heroum laudes, et facta parentis  
 Jam legere, et, quæ sit, poteris cognoscere, virtus:  
 Mollì paulatim flavesbet campus arista,  
 Incultisque rubens pendebit sentibus uva,  
 Et duræ quercus sudabunt roscida mella.  
 Alter erit tum Tiphys, et altera quæ vehat Argo  
 Delectos heroas: erunt etiam altera bella,  
 Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.  
 Aggredere, o magnos, aderit jam tempus, honores,  
 Cara Deum soboles, magnum Jovis incrementum,  
 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:  
 Incipe, parve puer, cui non risere parentes,  
 Nec deus hunc mensâ, dea nec dignata cubili est.

### Ex egloga V, cui nomen Daphnis,

- M. Cur non, Mopse, boni quoniam convenimus ambo,  
 Tu calamos inflare leves, ego dicere versus,  
 Hic corylis mistos inter consedimus ulmos?  
**Mop.** Tu major: tibi me est æquum parere, Menalca:  
 Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,  
 Sive antro potius succedimus: aspice ut antrum  
 Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.  
**M.** Incipe, Mopse prior, si quos aut Phyllidis ignes,  
 Aut Alconis habes laudes, aut jurgia Codri.  
 Incipe, pascentes servabit Tityrus hædos.  
**Mop.** Sed tu desine plura puer: successimus antro.  
 Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnium  
 Flebant: vos coryli testes, et flumina nymphis:  
 Quum, complexa sui corpus miserabile nati,  
 Atque Deos atque astra vocat crudelia mater,  
 Daphni, tuum Poenos etiam ingemuisse leones  
 Interitum, montesque feri sylvæque loquuntur.  
 Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,  
 Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis;  
 Tu decus omne quis: postquam te fata tulerunt,  
 Ipsa Pales agros, atque ipse reliquit Apollo:

Et tumulum facite, et tumulo superaddite carmen.  
Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sidera notus,  
Formosi pecoris custos, formosior ipse.

M. Tale tuum carmen nobis, divine poeta,  
Quale sopor fessis in gramine, quale per aestum  
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.  
Daphnim ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.  
Sis bonus, ò, felixque tuis! en quatuor aras:  
Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo,  
Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,  
Craterasque duos statuam tibi pinguis olivi:  
Et multo in primis hilarans convivia Baccho,  
(Ante focum, si frigus erit; si messis in umbrâ)  
Vina novum fundam calathis Arvisia nectar.  
Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit,  
Dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadæ:  
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt.

Mop. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?

M. Hac te nos fragili donabimus antè cicuta.

Hæc nos, Formosum Corydon ardebat Alexim:

Hæc eadem docuit, cujum pecus? an Melibœi?

### XXX.

#### Ex egloga VI, cui nomen Silenus.

Prima Syracosio dignata est ludere versu  
Nostra, neque erubuit sylvas habitare Thalia.  
Quum canerem reges et prælia, Cynthius aurem  
Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues  
Pascere oportet oves, deductum dicere carmen.  
Pergite, Pierides. Chromis et Mnasylus in antro  
Silenum pueri somno videre jacentem:  
Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho.  
Serta procul tantum capiti delapsa jacebant:  
Et gravis attritæ pendebat cantharus ansa.

Addit se sociam, timidisque supervenit Ægle,  
 Ægle Naiadum pulcherrima: jamque videnti  
 Sanguineis frontem moris, et tempora pingit.  
 Solvite me pueri: satis est potuisse videri.  
 Huic aliud mercedis erit, simul incipit ipse.  
 Tum vero in numerum Faunosque, ferasque videres  
 Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.  
 Namque canebat, uti magnum per inane coacta  
 Semina terrarumque, animæque, marisque fuissent,  
 Et liquidi simul ignis: ut his exordia primis  
 Omnia, et ipse tener mundi concreyerit orbis.  
 Tum canit, errantem Permessi ad flumina Gallum  
 Aonas in moutes ut duxerit una sororum;  
 Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles.  
 Cogere donec oves stabulis, numerumque referre  
 Jussit, et invito processit Vesper Olympo.

### Ex egloga VII, cui nomen Melibœus.

- Fortè sub argutâ consederat ilice Daphnis,  
 Compulerantque greges Corydon et Thyrsis in unum,  
 Thyrsis oves, Corydon distentas lacte capellas,  
 Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo:  
 Et cantare pares, et respondere parati.  
 Huc ades, ô Melibœe, caper tibi salvus et hœdi;  
 Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbra.  
 Et certamen erat, Corydon cum Thyside, magnum.  
 Posthabui tamen illorum mea seria ludo.
- Cor.** Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,  
 Candidior cynis, hederâ formosior albâ:  
 Quum primum pasti repetent præsepio tauri,  
 Si qua tui Corydenis habet te cura, venito.
- Thyr.** Aret ager, vitio moriens sitit aeris herba,  
 Liber pampineaas invidit collibus umbras:  
 Phyllidis adventu nostræ nemus omne virebit,  
 Jupiter et læto descendet plurimus imbris.
- Cor.** Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho:  
 Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.  
 Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,  
 Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.

**Thyr.** *Fraxinus in sylvis pulcherrima, pinus in hortis,  
Populus in flaviis, abies in montibus altis:  
Sæpius ac si me, Lycida formose, revisas;  
Fraxinus in sylvis cedat tibi, pinus in hortis.*

**Mel.** *Hæc memini, et victum frustrâ contendere Thyrsim.  
Ex illo Corydon, Corydon est tempore nobis*

## **Ex egloga VIII, cui nomen Pharmaceutria.**

*Pastorum Musam Damonis, et Alphesibœi,  
Immemor herbarum quos est mirata juventa  
Gertantes, quorum stupefactæ carmine lynces,  
Et mutata suos requierunt flumina cursus,  
Damonis Musam dicemus, et Alphesibœi.  
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem  
Sola Sophocleo tua carmina digna cothurno?  
Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,  
Quum ros in tenerâ pecori gratissimus herbâ est:  
Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.*

**D.** *Nascere, præque diem veniens age Lucifer alnum:  
Incipe Mænalias mecum, mea tibia, versus.  
Mopso Nisa datur: quid non speremus amantes?  
Jungentur jam gryphes equis, ævoque sequenti  
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.  
Mopse, novas incide faces, tibi ducitur uxor.  
Sparge, marite, nuces, tibi deserit Hesperus OEtam.  
Sepibus in nostris parvam te roscida mala,  
Dux ego vester eram, vidi cum matre legentem:  
Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus;  
Jam fragilis poteram à terra contingere ramos.  
Ut vidi, ut periit ut me malus abstulit error!  
Incipe Mænalias mecum, mea tibia, versus.*

**Poe.** *Hæc Damon: vos, quæ responderit Alphesibœus,  
Dicite, Pierides: non omnia possumus omnes.*

**Alph.** *Effer aquam et molli cinge hæc altaria vittâ:  
Verbenasque adole pingues, et mascula thura,  
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris  
Experiari sensus: nihil hic nisi carmina desunt.  
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnias.  
Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.*

Cerminibus Circe socios mutavit Ulyssi:  
 Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.  
 Limus ut hic durescit, et haec ut cera liquefacit,  
 Uno eodemque igni, sic nostro Daphnis amore.  
 Sparge molam, et fragiles incende bitumine lauros.  
 Nescio quid certe est: et Hylax in limine latrat.  
 Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?  
 Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis.

### Ex egloga IX, cui nomen Mœris.

- Lyc. Quo te, Mœri, pedes? an, quod via dicit, in urbem?  
 M. O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri  
 (Quod numquam veriti sumus), ut possessor agelli  
 Diceret: Hæc mea sunt, veteres migrate coloni.  
 Nunc victi, tristes, quoniam sors omnia versat,  
 Hos illi, (quod nec bene vertat), mittimus hœdos.  
 Lyc. Certè equidem audieram, quæ se subducere colles  
 Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,  
 Usque ad aquam, et veteris jam fracta cacumina fagi,  
 Omnia carminibus vestrum servasse Menalcam.  
 M. Audieras, et fama fuit: sed carmina tantum.  
 Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum  
 Chaonias dicunt, aquilâ veniente, columbas.  
 Lyc. Quis caneret Nymphas? Quis humum florentibus herbis  
 Spargeret, aut viridi fontes induceret umbrâ?  
 Tityre, dum redeo, brevis est via, pasce capellas;  
 Et potum pastas age, Tityre, et inter agendum  
 Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.  
 M. Immo hæc, quæ Varo necdum perfecta canebat:  
 Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,  
 Mantua, vœ! miseræ nimium vicina Cremonæ,  
 Cantantes sublime ferent ad sidera cycni.  
 Lyc. Nam neque adhuc Varo videor, nec dicere Cinnæ  
 Digna, sed argutos inter strepere anser olores.  
 M. Id quidem ago, et tacitus, Lycida, mecum ipse volute,  
 Si valeam meminisse: neque est ignobile carmen.  
 Lyc. Quid, quæ te purâ solum sub nocte canentem  
 Audieram? numeros memini, si verba tenerem.  
 Hic hœdos depone, tamen veniemus in urbem:

Cantantes ut eamus, ego hoc te fasce levabo.  
**M.** Desine plura, puer: et quod nunc instat, agamus.  
 Carmina tum melius, quum venerit ipse, canemus.

### Ex egloga X, cui nomen Gallus.

Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.  
 Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa Lycoris,  
 Carmina sunt dicenda: neget quis carmina Gallo?  
 Incipe, sollicitos Galli dicamus amores,  
 Dum tenera attendent simæ virgulta capellæ.  
 Non canimus surdis, respondent omnia sylvæ.  
 Galle, quid insanis? inquit: tua cura Lycoris,  
 Pèrque nives alium, pèrque horrida castra secuta est.  
 Nec lacrymis crudelis amor, nec gramaña rivis,  
 Nec cytiso saturantur apes; nec fronde capellæ.  
 Tristis at ille tamen, cantabitis Arcades, inquit,  
 Atque utinam ex vobis unus, vestrique fuisse!  
 Aut custos gregis, aut maturæ vinitor uvæ!  
 Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori:  
 Hic nemus, hic ipso tecum consumerer ævo.  
 Omnia vincit amor; et nos cedamus amori.  
 Hæc sat erit, divæ, vestrum cecinisse poetam.  
 Surgamus: solet esse gravis cantantibus umbra,  
 Juniperi gravis umbra; nocent et frugibus umbrae.  
 Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

---

### XXXII.

### Ex Georgicorum lib. I.

Quid faciat lætas segetes: quo sidere terram  
 Vertere, Mœcenas, ulmisque adjungere vites  
 Conveniat: quæ cura boum, quis cultus habendo  
 Sit pecori: apibus quanta experientia parcis:  
 Hinc canere incipiam. Vos, o clarissima mundi

Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum:  
 Liber, et alma Ceres, vestro si munere tellus  
 Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ,  
 Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis:  
 Munera vestra cano.  
 Illa seges demum votis respondet avari  
 Agricolæ, bis quæ solem, bis frigora sensit:  
 Illius immensæ ruperunt horrea messes.  
 Aut ibi flava seres mutato sidere farra;  
 Unde priùs laetum siliqua quassante legumen,  
 Aut tenues foetus viciae, tristisque lupini  
 Sustuleris fragiles calamos, sylvamque sonantem.  
 Urit enim lini campum seges, urit avenæ:  
 Urunt Lethæo perfusa papavera somno.  
 Sed tamen alternis facilis labor: arida tantum  
 Ne saturare simo pingui pudeat sola, neve  
 Effœtos cinerem immundum jactare per agros.  
 Sepe etiam steriles incendere profuit agros,  
 Atque levem stipulam crepitantibus urere flammis.  
 Sive inde occultas vires et pabula terræ  
 Pingua concipiunt: sive illis omne per ignem  
 Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor:  
 Seu plures calor ille vias, et cæca relaxat  
 Spiramenta, novas veniat quæ succus in herbas:  
 Seu durat magis, et venas astringit hiantes:  
 Ne tenues pluviae, rapidive potentia Solis  
 Acrior, aut Boreæ penetrabile frigus adurat.  
 Humida solstitia, atque hyemes orate serenas.  
 Ante Jovem nulli subigebant arva coloni:  
 Nec signare quidem aut partiri limite campum  
 Fas erat: in medium quærebant: ipsaque tellus  
 Omnia liberiùs nullo poscente ferebat.  
 Ille malum virus serpentibus addidit atris:  
 Tum variæ venere artes. Labor omnia vincit  
 Improbus, et duris urgens in rebus egestas.  
 Quod nisi et assiduis terram sectabere rastris,  
 Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci  
 Falce premes umbras, votisque vocaveris imbre:  
 Heu! magnum alterius frustra spectabis aceryum,  
 Concussaque famem in sylvis solabere queru.

Semina vidi equidem multos medicare serentes,  
 Vidi lecta diu, et multo spectata labore,  
 Degenerare tamen; ni vis humana quotannis  
 Maxima quæque manu legeret: sic omnia fatis  
 In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.  
 Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una corusco  
 Semper sole rubens, et torrida semper ab igne:  
 Quam circùm extremæ destrâ lœvâque trahuntur  
 Cœruleâ glacie concretæ, atque imbris atris.  
 Has inter mediamque, duæ mortalibus ægris  
 Munere concessæ Divum: et via secta per ambas,  
 Obliquus quâ se signorum verteret ordo.  
 Frigoribus parto agricolæ plerumqne fruuntur,  
 Mutuaque inter se lœti convivia curant:  
 In primis venerare Deos, atque annua magnæ  
 Sacra refer Cereri, lœtis operatus in herbis:  
 Extremæ sub casum hyemis, jam vere sereno.  
 Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem,  
 Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro  
 Dignus honos, squalent abductis arva colonis,  
 Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.  
 Hinc moyet Euphrates, illinc Germania bellum:  
 Vicinæ ruptis inter se legibus urbes  
 Arma ferunt: sævit toto Mars impius orbe.  
 Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ,  
 Addunt se in spatia: et frustra retinacula tendens  
 Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

### Ex Georgic lib II.

Principio arboribus varia est natura creandis.  
 Tuque ades, incœptumque unâ decurre laborem,  
 O decus, ò famæ meritò pars maxima nostræ,  
 Mœcenas: pelagoque volans da vela parenti.  
 Non ego cuncta meis amplecti versibus opto:  
 Non, mihi si linguæ centum sint, oraque centum,  
 Ferrea vox: ades, et primi lege litoris oram.  
 In manibus terræ: non hic te carmine ficio,  
 Atque per ambages et longa exorsa tenebo.  
 Necnon et sterilis quæ stirpibus exit ab imis,

Hoc faciet, vacuos si sit digesta per agros:  
 Nunc altae frondes et rami matris opacant,  
 Crescentique adimunt foetus, uruntque ferentem.  
 Scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes  
 Cogenda in sulcum, ac multa mercede domandae.  
 Nec modus inserere, atque oculos imponere simplex.  
 Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,  
 Miraturque novas frondes, et non sua poma.  
 Nec verò terræ ferre omnes omnia possunt.  
 Litora myrtetis lætissima, denique apertos  
 Bacchus amat colles, Aquilonem, et frigora taxi.  
 Sed neque Medorum sylvæ, ditissima terra,  
 Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,  
 Laudibus Italæ certent: non Bactra, neque Indi,  
 Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.  
 At rabidae tigres absunt, et sæva leonum  
 Semina: nec miseros fallunt aconita legentes:  
 Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto  
 Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.  
 Adde tot egregias urbes, operumque labore:  
 Tot congesta manu præruptis oppida saxis:  
 Fluminaque antiquos subterlabentia muros.  
 An mare, quod supra, memorem, quodque alluit infra?  
 Anne lacus tantos? te, Lari maxime, teque  
 Fluctibus et fremitu assurgens, Benace, marino?  
 Hæc eadem argenti rivos, ærisque metalla  
 Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.  
 Hæc genus acre virūm, Marsos, pubemque Sabellam,  
 Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos  
 Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos;  
 Scipiadas duros bello, et te, maxime Cæsar,  
 Qui nunc extremis Asie jam victor in oris  
 Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.  
 Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,  
 Magna virūm; tibi res antiquæ laudis et artis  
 Ingredior, sanctos ausus recludere fontes;  
 Ascræumque cano Romana per oppida carmen.  
 Nunc locus arvorum ingenii: quæ robora cuique,  
 Quis color, et quæ sit rebus natura ferendis,  
 Optima vinetiæ satio est, quam vere rubenti

Candida venit avis longis invisa colubris:  
 Ver aded frondi memorum, ver utile sylvis:  
 Vere tument terræ, et genitalia semina poscunt.  
 Tum pater Omnipotens fœcundis imbris æther  
 Conjugis in gremium lætæ descendit, et omnes  
 Magnus alit, magno commixtus corpore, fœtus.  
 Parturit almus ager: Zephyrique tepentibus auris  
 Laxant arva sinus: superat tener omnibus humor:  
 Non alios primâ crescentis origine mundi  
 Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem  
 Crediderim: ver illud erat, ver magnus agebat  
 Orbis, et hybernis pascebant flatibus Euri.  
**Ergo ritè suum Baccho dicemus honorem**  
 Carminibus patriis, lancesque et liba feremus:  
 O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
 Agricolas! quibus ipsa, procul discordibus armis,  
 Fundit humo facilem victum justissima tellus.  
**Me verd primum dulces ante omnia Musæ,**  
 Quarum sacra fero, ingenti percussum amore,  
 Accipiant, cœlique vias et sidera monstrent,  
 Defectus Solis varios, Lunæque labores:  
 Felix qui potuit rerum cognoscere causas,  
 Atque metus omnes et inexorabile fatum  
 Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari.  
 Interea pendent dulces circum oscula nati:  
 Casta pudicitiam servat domus: ubera vaccæ  
 Lactea demittunt: pinguesque in gramine læto  
 Inter se adversis luctantur cornibus hœdi.  
 Sed nos immensus spatiis confecimus æquor,  
 Et jam tempus equum fumantia solvere colla.

### XXXIV.

#### Ex Georgic. lib. III.



Te quoque magna Pales, te memorande canemus,  
 Pastor ab Amphrisio: vos, sylvæ, amnesque Lycæi.

Cætera quæ vacuas tenuissent carmina mentes,  
 Omnia jam vulgata. Quis aut Eurysthea durum,  
 Aut illaudati nescit Busiridis aras?  
 Primus ego in patriam mecum (modò vita supersit)  
 Aonio rediens deducam vertice Musas:  
 In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.  
 Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ  
 Dona feram: jam nunc solemnies ducere pompas  
 Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos:  
 In foribus pugnam ex auro solidoque elephanto  
 Gangaridum faciam, victorisque arma Quirini:  
 Interea Dryadum sylvas saltusque sequamur  
 Intactos, tua, Mœcenas, haud mollia jussa.  
 Corpora præcipuè matrum legat. Optima torvæ  
 Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,  
 Et crurum tenus à mento palearia pendent.  
 Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:  
 Pes etiam, et camuris hirtæ sub cornibus aures.  
 Nec mihi displiceat maculis insignis et albo:  
 Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu,  
 Et faciem tauro propior: quæque ardua tota,  
 Et gradiens imâ verrit vestigia caudâ.  
 Semper erunt, quarum mutari corpora malis,  
 Semper enim resice: ac, ne post amissa requiras,  
 Anteveni, et sobolem armento sortire quotannis.  
 Necnon et pecori est idem delectus equino.  
 Continuò pecoris generosi pullus in arvis  
 Altius ingreditur, et mollia crura reponit:  
 Primus et ire viam, et fluvios tentare minaces  
 Audet, et ignoto sese committere ponti:  
 Nec vanos horret strepitus. Illi ardua cervix  
 Argutumque caput: brevis alvus, obessaque terga:  
 Luxuriatque toris animosum pectus: honesti  
 Spadices glaucique; color deterrimus albis,  
 Et gilvo; tum, si quæ sonum procul arma dedere;  
 Stare loco nescit, micat auribus, et tremit artus,  
 Collectumque premens volvit sub naribus ignem.  
 Densa juba, et dextro jactata recumbit in armo.  
 At duplex agitur per lumbos spina: cavatque  
 Tellurem, et solido graviter sonat ungula cornu.

Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,  
 Incassum furit. Ergo animos ævumque notabis.  
 Præcipuè: hinc alias artes, prolemque parentum,  
 Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.  
 Nonne vides? quum præcipiti certamine campum  
 Corripuere, ruuntque effusi carcere currus;  
 Quum spes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit  
 Corda pavor pulsans: illi instant verbere torto.  
 Et proni dant lora: volat vi feryidus axis:  
 Jamque humiles, jamque elati sublime videntur  
 Aera per vacuum ferri, atque assurgere in auras.  
 Nec mora, nec requies. At fulvæ nimbus arenæ  
 Tollitur; humescunt spumis flatuque sequentum:  
 Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.  
 Tum magis atque magis blandis gaudere magistri  
 Laudibus, et plausæ sonitum cervicis amare.  
 Atque hæc jam primò depulsus ab ubere matris  
 Audiat, inque vicem det mollibus ora capistris,  
 Invalidus, etiamque tremens, etiam inscius ævi.  
 At tribus exactis ubi quarta accesserit æstas;  
 Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare  
 Compositis: sinuetque alterna volumina crurum:  
 Sitque laboranti similis: tum cursibus auras  
 Provocet: ac per aperta volans, ceu liber habenis  
 Äquora, vix summâ vestigia ponat arenâ.  
 Qualis, Hyperboreis Aquilo quum densus ab oris  
 Incubuit, Scythiaque hyemes atque arida differt  
 Nubila: tum segetes altæ campique natantes  
 Lenibus horrescant flabris, summæque sonorem  
 Dant sylvæ, longique urgent ad litora fluctus:  
 Ille volat, simul arva fugâ, simul äquora verrens.  
 Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus;  
 Singula dum capti circumvectamur amore.  
 Continuò ferro culpam compesce, priusquam  
 Dira per incautum serpent contagia vulgus.  
 Ecce autem duro fumans sub vomere taurus  
 Concidit, et mixtum spumis vomit ore cruorem,  
 Extremusque ciet gemitus: it tristis arator,  
 Pocula sunt fontes liquidi, atque exercita cursu  
 Flumina: nec somnos abrumpit cura salubres,

Ipsis est aer avibus non aequus, et illæ  
Præcipites altâ vitam sub nube relinquunt.

### Ex Georg. lib. IV.

Absint et picti squalentia terga lacerti  
Pinguibus à stabulis, meropesque, aliaeque volucres,  
Et manibus Progne pectus signata cruentis.  
Omnia nam latè vastant, ipsaque volantes  
Ore ferunt, dulcem nidis immittibus escam.  
Sin autem ad pugnam exierint (nam sæpè duobus  
Regibus incessit magno discordia motu)  
Continuòque animos vulgi, et trepidantia bello  
Corda licet longè præsciscere: namque morantes  
Martius ille æris rauci canor increpat, et vox  
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.  
Et circa regem atque ipsa ad prætoria densæ  
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.  
Ergo ubi ver nactæ sudum, camposq[ue] patentes,  
Erumpunt portis, concurritur æthere in alto.  
Ipsi per medias acies, insignibus alis,  
Ingentes animos augusto in pectore versant:  
Usque adeò obnixi non cedere, dum gravis, aut hos,  
Aut hos, versa fugâ victor dare terga coegit.  
Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta  
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.  
Verùm ubi ductores acie revocaveris ambo:  
Deterior qui visus, eum, ne prodigus obsit,  
Dede neci: melior vacua sine regnet in aula.  
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces  
Suspendunt ceras: aliae spem gentis adultos  
Educunt fœtus: aliae purissima mella  
Stipant, et liquido distendunt nectare cellas.  
Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti,  
Inque vicem speculantur aquas et nubila cœli:  
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto  
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.  
Fervet opus, redoientque thymo fragantia mella.  
Ac veluti lentis Cyclopes fulmina massis  
Quum properant, alii taurinis follibus auræ

Accipiunt redduntque: alii stridentia tingunt  
 Æra lacu: gemit impositis incudibus Ætna:  
 Non aliter (si parva licet componere magnis)  
 Cecropias innatus apes amor urget habendi,  
 Munere quamque suo, grandævis oppida curæ,  
 Et munire favos, et Dædala fingere tecta.  
 Præterea regem non sic Ægyptus, et ingens  
 Lydia, nec populi Partorum, aut Medus Hydaspes,  
 Observant: rege incolumi mens omnibus una est;  
 Amisso, rupere fidem: constructaque mella  
 Diripuere ipsæ, et crates solvere favorum.  
 Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,  
 Et caligantem nigrâ formidine lucum  
 Ingressus, Manesque adiit, regemque tremendum,  
 Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.  
 At cantu commotæ Erebi de sedibus imis,  
 Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum.  
 Quin ipsæ stupuere domus, atque intima Lethi  
 Tartara, caeruleosque implexæ crinibus angues  
 Eumenides; tenuitque inhians tria cerberus ora.  
 Jamque pedem referens, casus evaserat omnes;  
 Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,  
 Ponè sequens (namquic dederat Proserpina legem)  
 Quum subita incautum dementia cepit amantem:  
 (Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes)  
 Illa, quis et me, inquit, miseram, et te perdidit, Orpheu?  
 Quis tantus furor? en iterum crudelia retro  
 Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.  
 Jamque vale: feror ingenti circumdata nocte,  
 Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas.  
 Septem illum totos perhibent e<sup>o</sup> ordine menses  
 Flevisse, et gelidis haec evolvisse sub antris,  
 Mulcentem tigres, et agentem carmine quercus.  
 Qualis populea mœrens philomela sub umbra  
 Amissos queritur foetus, quos durus arator  
 Observans nido implumes detraxit; at illa  
 Flet noctem, ramoque sedens mirabile carmen  
 Integrat, et mœstis late loca questibus implet.  
 Ah miseram Eurydicem, anima fugiente, vocabat:  
 Eurydicem toto referebant flumine ripæ.

## XXXVI.

## Ex Aeneidos, lib. I.



Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:  
 Æole, namque tibi divum pater atque hominum rex  
 Et mulcere dedit fluctus, et tollere vento:  
 Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat aequor,  
 Ilium in Italiam portans, victosque Penates.  
 Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:  
 Aut age diversas, et disjice corpora ponto.  
 Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphae:  
 Quarum, quæ formâ pulcherrima, Deiopeiam  
 Connubio jungam stabili, propiamque dicabo:  
 Omnes ut tecum meritis pro talibus annos  
 Exigat, et pulchrâ faciat te prole parentem.  
 Æolus hæc contra: Tuus, ò regina, quid optes,  
 Explorare labor: mihi jussa capessere fas est.  
 Tu mihi quodcumque hoc regni, tu sceptræ, Jovemque  
 Concilias; tu das epulis accumbere Divum,  
 Nimborumque facis tempestatumque potentem.  
 Eripiunt subitò nubes cœlumque diemque  
 Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra.  
 Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther;  
 Praesentemque viris intentant omnia mortem.  
 Apparent rari nantes in gurgite vasto:  
 Arma virum, tabulæque, et Troia gaza per undas.  
 Nec latuere doli fratrem Junonis, et iræ:  
 Eurum ad se Zephyrumque vocat: dehinc talia fatur:  
 Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?  
 Jam cœlum terramque, meo sine numine, venti,  
 Miscere, et tantas audetis tollere molles?  
 Quos ego.... Sed motos præstat compонere fluctus:  
 Post mihi non simili poenâ commissa luetis.  
 Maturate fugam: regique hæc dicite vestro:  
 Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem;  
 Sed mihi sorte datum; tenet ille immania saxa,  
 Vestras, Eure, domos: illâ se jactet in aulâ

Æolus, et clauso ventorum carcere regnet.  
 Sic ait, et dicto citius tumida aquora placat,  
 Collectasque fugat nubes, soleisque reducit.  
 Ac veluti magno in populo quum saepe coorta est  
 Seditio, saevitque animis ignobile vulgus;  
 Jamque faces et saxa volant, furor arma ministrat:  
 Tum pietate gravem ac meritis si forte virum quem  
 Conspexere; silent, arrectisque auribus adstant:  
 Ille regit dictis animos, et pectora mulcet.  
**Eneas** dictis mœrentia pectora mulcet:  
 O socii, neque enim ignari sumus ante malorum,  
 O passi graviora: dabit Deus his quoque finem:  
 Vos et Scyllæam rabiem, penitusque sonantes  
 Accestis scopulos: vos et cyclopea saxa  
 Experti: revocate animos, mœstumque timorem  
 Mittite: forsitan et haec olim meminisse juvabit.  
 Per varios casus, per tot discrimina rerum  
 Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas  
 Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ.  
 Durate, et vosmet rebus servate secundis.

## Ex libro II.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.  
 Accipe nunc Danaum insidias: et crimine ab uno  
 Disce omnes  
 Cuncta equidem tibi Rex, fuerint quæcumque, fatebor;  
 Jamque dies nefanda aderat: mihi sacra parari,  
 Et salsæ fruges, et circum tempora vittæ.  
 Eripui, fateor, letho me, et vincula rupi:  
 Per, si qua est, quæ restat adhuc mortalibus usquam  
 Intemerata fides: oro, miserere laborum  
 Tantorum; miserere animi non digna ferentis.  
 His lacrymis vitam damus, et miserescimus ultrò.  
 Laocoön, ductus Neptuno sorte sacerdos,  
 Solemnes taurum ingentem mactabat ad aras.  
 Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alto,  
 Horresco referens, immensis orbibus angues  
 Incubunt pelago, pariterque ad litora tendunt:  
 Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque

Sanguineæ exsuperant undas, pars cælera pontum  
 Ponè legit, sinuatque immensa volumine terga.  
 Fit sonitus, spumante salo: jamque arva tenebant,  
 Ardentisque oculos suffecti sanguine et igni,  
 Sibila lambebant linguis vibrantibus ora.  
 Diffugimus visu exsangues: illi agmine certo  
 Laocoonta petunt: et primum parva duorum  
 Corpora natorum serpens amplexus uterque  
 Implicat, et miseros morsu depascitur artus.  
 Post, ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem  
 Corripiunt, spirisque ligant ingentibus, et jam  
 Bis medium amplexi, bis collo squamea circum  
 Terga dati, superant capite, et cervicibus altis.  
 Ille simul manibus tendit divellere nodos,  
 Perfusus sanie vittas, atroque veneno;  
 Clamores simul horrendos ad sidera tollit.  
 Apparent Priami et veterum penetralia regum:  
 Armatosque vident stantes in limine primo.  
 At domus interior gemitu miseroque tumultu  
 Miscetur: penitusque cavæ plangoribus ædes  
 Fœmineis ululant: ferit aurea sidera clamor.  
 Tum pavidae tectis matres ingentibus errant:  
 Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.  
 Instat vi patriâ Pyrrhus; nec claustra, nec ipsi  
 Custodes sufferre valent: labat ariete crebro  
 Janua, et emoti procumbunt cardine postes.  
 Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant  
 Immissi Danai, et latè loca milite complent.  
 Vidi Hecubam, centumque nurus, Priamumque per aras  
 Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat ignes.  
 Quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,  
 Barbarico postes auro spoliisque superbi,  
 Procubuere: tenent Danai, quæ deficit ignis.  
 Forsitan et, Priami fuerint quæ fata, requiras.  
 At non ille, satum quo te mentiris, Achilles,  
 Talis in hoste fuit Priamo: sed jura fidemque  
 Supplicis erubuit; corpusque exsangue sepulcro  
 Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.  
 Sic fatus senior: telumque imbelli sine ictu  
 Conjecit, rauco quod protinus ære repulsum,

Et summo clypei nequicquam umbone pependit.  
 Cui Pyrrhus: Referes ergo hæc, et nuncius ibis  
 Pelidæ genitori: illi mea tristia facta,  
 Degeneremque Neoptolemum narrare memento.  
 Nunc morere. Hæc dicens, altaria ad ipsa trementem  
 Traxit, et in multo lapsantem sanguine nati:  
 Implicuitque comam lœvâ; dextrâque coruscum  
 Extulit, ac lateri capulo tenuis abdidit ensem.

### Ex Æneidos, lib. III.



Heul fuge crudeles terras, fuge litus avarum.  
 Nam Polydorus ego: hic confixum ferrea textit  
 Telorum seges, et jaculis increvit acutis.  
 Tum verò ancipiti mentem formidine pressus  
 Obstupui, steteruntque comæ, et vox faucibus hæsit.  
 Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno  
 Infelix Priamus furtim mandârat alendum  
 Threicio regi: cum jam diffideret armis  
 Dardaniæ, cinqüe urbem obsidione videret.  
 Ille, ut opes fractæ Teucrûm, et fortuna recessit,  
 Res Agamemnonias, victriciaque arma secutus,  
 Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, et auro  
 Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis  
 Auri sacra famæ?  
*Andromache* longo vix tandem tempore fatur:  
 Verane te facies, verus mihi nuncius affers,  
 Nata Dea? vivisne? aut, si lux alma recessit,  
 Hector ubi est? Dixit: lacrymasque effudit, omnem  
 Implevit clamore locum: vix pauca furenti  
 Subjicio, et raris turbatus vocibus hisco:  
 Vivo euidem, vitamque extrema per omnia duco,  
 Ne dubita, nam vera vides.  
 Heu! quis te casus dejectam conjuge tanto  
 Excipit? aut quæ digna satis fortuna revisit?  
 Hectoris, Andromache, Pyrrhine connubia servas?  
 Dejecit vultum, et demissa voce locuta est:  
 O felix una ante alias Priameia virgo,  
 Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis  
 Jussa mori: quæ sortitus non pertulit ullos,

Nec victoris heri tetigit captiva cubile  
 Nos, patriâ incensâ, diversa per æqua vectæ,  
 Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum  
 Servitio enixaæ tulimus: qui deinde sequutus  
 Ledæam Hermionem, Lacedæmoniosque Hymenæos,  
 Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.  
 Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore  
 Conjugis, et scelerum furiis agitatus Orestes,  
 Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras.  
 Sed tibi qui cursum venti, quæ fata dedere?  
 Aut quisnam ignarum nostris Deus appulit oris?  
 Quid puer Ascanius? superatne, et vescitur aura?  
 Quem tibi jam Trojâ....  
 Ecquæ jam puero est amissæ cura parentis?  
 Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles,  
 Et pater Æneas, et avunculus excitat Hector?

---

### XXXVIII.

#### Ex libro IV.

At regina gravi jam dudum saucia cura,  
 Vulnus alit venis, et cæco carpitur igni.  
 Multa viri virtus animo, multusque recursat  
 Gentis honos: hærent infixi pectore vultus.  
 Heu vatum ignaræ mentes: quid vota furentem,  
 Quid delubra juvant? est mollis flamma medullas  
 Interea, et tacitum vivit sub pectore vulnus.  
 Uritur infelix Dido, totaque vagatur  
 Urbe furens, qualis conjectâ cerva sagittâ.  
 Exemplò Libyæ magnas it fama per urbes:  
 Fama, malum quo non aliud velocius ullum,  
 Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.  
 Parva metu primo; mox sese attollit in auras,  
 Ingrediturque solo, et caput inter nubila condit.  
 Illam Terra parens, irâ irritata Deorum,

Extremam, ut perhibent, Cœo Enceladoque sororem  
 Progenuit, pedibus celerem et pernicibus alis:  
 Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ,  
 Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,  
 Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subigit aures.  
 Nocte volat cœli medio, terræque per umbram  
 Stridens, nec dulci declinat lumina somno:  
 Luce sedet custos, aut summi culmine tecti,  
 Turribus aut altis, et magnas territat urbes:  
 Tam facti pravique tenax, quam nuntia veri.  
 At regina dolos, (quis fallere possit amantem?)  
 Præsensit, motusque exceptit prima futuros,  
 Omnia tuta timens: eadem impia fama furenti  
 Detulit, armari classem, cursumque parari.  
 Tandem his Aeneam compellat vocibus ultrò:  
 Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum  
 Posse nefas? tacitusque mea decadere terra?  
 Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,  
 Nec moritura tenet crudeli funere Dido?  
 Quin etiam hyberno moliris sidere classem,  
 Et mediis properas Aquilonibus ire per altum,  
 Crudelis! Quid? si non arva aliena domosque  
 Ignatas peteres? et Troja antiqua maneret?  
 Troja per undosum peteretur classibus æquor?  
 Mene fugis? per ego has lacrymas dextramque tuam te,  
 Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui,  
 Per connubia nostra, per incœptos Hymenæos;  
 Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam  
 Dulce meum: miserere domus labentis; et istam  
 Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.  
 Dixerat. Ille Jovis monitis immota tenebat  
 Lumina, et obnixus curam sub corde premebat.  
 Desine, meque tuis incendere teque querelis:  
 Italiam non sponte sequor.  
 Talia dicentem jam dudum aversa tuetur,  
 Huc illuc volvens oculos: totumque pererrat  
 Luminibus tacitis, et sic accensa profatur:  
 Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor,  
 Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens  
 Caucasus, Hyrcanæque admirunt ubera tigres.

Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo?  
 Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?  
 Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?  
 Quæ quibus anteferam? jam jam nec maxima Juno,  
 Nec Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.  
 Interpres Divum fert horrida jussa per auras:  
 Scilicet is superis labor est, ea cura quietos  
 Sollicitat. Neque te teneo, neque dicta refello.  
**I**, sequere Italiam ventis, pete regna per undas.  
 Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,  
 Supplicia hausurum scopulis; et nomine Dido  
 Saepè vocaturum; sequar atris ignibus absens:  
 Et quum frigida mors animâ seduxerit artus,  
 Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe, poenas:  
**Audiam**: et hæc manes veniet mihi fama sub imos.  
 Quem metui moritura? faces in castra tulissem,  
 Implessemque foros flammis: natumque patremque  
 Cum genere extinxem: memet super ipsa dedissem.  
 Sol, qui terrarum flammis opera omnia lustras:  
 Tuque harum interpres curarum et conscientia Juno:  
 Nocturnisque Hecate triviis ululata per urbes:  
**Et Diræ** ultrices, et Dii morientis Elisæ:  
 Accipite hæc, meritumque malis advertite numen,  
 Et nostras audite preces. Si tangere portus  
 Infandum caput, ac terris adnare necesse est;  
 Et si fata Jovis poscunt, hic terminus hæret:  
 At bello audacis populi vexatus et armis,  
 Finibus extorris, complexu avulsus Iuli,  
 Auxilium imploret, videatque indigna suorum  
 Funera: nec, cùm se sub leges pacis iniquæ  
 Tradiderit, regno aut optata luce fruatur.  
 Hæc precor: hanc vocem extremam cum sanguine fundo.  
 Tum vos, o Tyrii, stirpem et genus omne futurum  
 Exercete odiis; cineriqne hæc mititte nostro  
**Munera**: nullus amor populis, nec fœdera sunt.  
 Exoriare aliquis nostris ex ossibus ulti,  
 Qui face Dardanios ferroque sequare colonos.  
 Nunc, olim, quocumque dabunt se tempore vires,  
 Litora litoribus contraria, fluctibus undas  
 Imprecor, arma armis: pugnant ipsique nepotes.

Incubuitque toro, dixitque novissima verba:  
 Dulces exuviae, dum fata Deusque sinebant,  
 Accipite hanc animam, meque his exsolvite curis.  
 Illa graves oculos conata attollere, rursus  
 Defecit: infixum stridet sub pectore vulnus.  
 Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit,  
 Ter revoluta toro est: oculisque errantibus, alto  
 Quaesivit cœlo lucem, ingemuitque repertâ.

### Ex libro V.

Interea medium Æneas jam classe tenebat  
 Certus iter, fluctusque atros Aquilone secabat:  
 Mœnia respiciens, quæ jam infelcis Elisæ  
 Collucent flammis. Quæ tantum accenderit ignem,  
 Causa latet; duri magno sed amore dolores  
 Polluto, notumque, furens quid fœmina possit,  
 Triste per augurium Teucrorum pectora ducunt.  
 Expectata dies aderat, nonamque serenâ  
 Auroram Phætonis equi jam luce vehebant:  
 Invitat pretiis animos, et præmia ponit.  
 Sic fatus, tergum Getuli immane leonis  
 Dat Salio, villis onerosum atque unguibus aureis.  
 Hic Nisus: Si tanta, inquit, sunt præmia victis,  
 Et te lapsorum miseret, quæ munera Niso  
 Digna dabis? primam merui qui laude coronam,  
 Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset?  
 Et simul his dictis faciem ostentabat, et udo  
 Turpia membra fimo. Risit pater optimus olli:  
 Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,  
 Neptuni sacro Danaïs de poste refixum.  
 Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.  
 Nec mora continuè vastis cum viribus effert  
 Ora Dares, magnoque virûm se murmure tollit.  
 Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:  
 Nate Dea, si nemo audet se credere pugnæ,  
 Quæ finis standi? quò me decet usque teneri?  
 Ducere dona jube. Cuncti simul ore femebant  
 Dardanidae, reddique viro promissa jubebant.  
 Hic gravis Entellum dictis castigat Acestes,

Proximus ut viridante toro consederat herbæ:  
 Entelle, heroum quendam fortissime frustra,  
 Tantane tam patiens nullo certamine tolli  
 Dona sines? ubi nunc nobis Deus ille magister  
 Nequicquam memoratus Eryx? ubi fama per omnem  
 Trinacriam, et spolia illa tuis pendentia tectis?  
 Ille sub haec: non laudis amor, nec gloria cessit  
 Pulsa metu: sed enim gelidus tardante senectâ  
 Sanguis hebet, frigentque effectæ in corpore vires.  
 Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iste  
 Exsultat fidens, si nunc foret illa juventa;  
 Haud equidem pretio inductus pulchroque juvenco  
 Venissem: nec dona moror. Sic deinde locutus:  
 Quid, si quis cæstus ipsius et Herculis arma  
 Vidisset, tristemque hoc ipso in litore pugnam?  
 Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.  
 His magnum Alciden contra stetit: his ego suetus,  
 Dum melior vires sanguis dabat, æmula necdum  
 Temporibus geminis canebat sparsa senectus.  
 Sed si nostra Dares hæc Troius arma recusat,  
 Idque pio sedet Æneæ, probat auctor Acestes;  
 Æquemus pugnas. Erycis tibi terga remitto.  
 Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.  
 Ille, pedum melior motu, fretusque juventa:  
 Hic, membris et mole valens; sed tarda trementi  
 Genua labant, vastos quatit æger anhelitus artus.  
 Hic victor, superans animis, tauroque superbis:  
 Nata Dea, vosque hæc, inquit, cognoscite Teucri:  
 Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires,  
 Et qua servetis revocatum à morte Daretia.  
 Dixit, et adversi contra stetit ora juvenci,  
 Libravit dextrâ media inter cornua cæstus.  
 Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.

## XL.

## Ex libro VII.

Nunc age, qui reges, Erato, quæ tempora rerum,

Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem  
 Quum primum Ausonitis exercitus appulit oris;  
 Expediam: et primæ revocabo exordia pugnæ.  
 Tu vatem, tu Diva, mone: dicam horrida bella,  
 Dicam acies, actosque animis in funera reges,  
 Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam  
 Hesperiam. Major rerum mihi nascitur ordo,  
 Majus opus moveo. Rex arva Latinus et urbes  
 Jam senior longa placidus in pace regebat.  
 Hos super adyenit Volsca de gente Camilla,  
 Agmen agens equitum et florentes ære catervas,  
 Bellatrix. Non illa colo calathisve Minervæ  
 Fœmineas assueta manus; sed prælia virgo  
 Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.  
 Illa vel intactæ segetis per summa volaret  
 Gramina, nec teneras cursu laessisset aristas:  
 Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti  
 Ferrer iter, celeres nec tingeret æquore plantas.

### Ex Libro IX.

Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,  
 Hyrtacides; comitem Æneæ quem miserat Ida  
 Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis.  
 Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter  
 Non fuit Æneadum, Trojana nec induit arma;  
 Ora puer prima signans intonsa juventa.  
 His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:  
 Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.  
 Quæsitum Æneam ad moenia Pallantea  
 Mox hic cum spoliis, ingenti cæde peracta  
 Affore cernetis, nec nos via fallit euntes.  
 Euryalus: Me nulla dies tam fortibus ausis  
 Dissimilem arguerit: tantum fortuna secunda,  
 Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona  
 Unum oro, Genitrix Priami de gente vetusta  
 Est mihi: quam miseram tenuit non Ilia tellus  
 Mecum excedentem, non moenia regis Acestæ.  
 Hanc ego nunc, ignaram hujus quodcumque pericli est,  
 Inque salutatem linquo: nox et tua testis

Dextera, quò nequeam lacrymas perferre parentis.  
 Ac tu, oro, solare inopem, et sucurre relictae.  
 Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo  
 In casus omnes. Perculta mente, dederunt  
 Dardanidæ lacrymas; ante omnes pulcher Iulus,  
 Atque animum patriæ strinxit pietatis imago.  
 Tum sic effatur:  
 Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.  
 Namque erit ista mihi genitrix, nomenque Creusæ  
 Solum defuerit: nec partum gratia talem  
 Parva manet, casus factum quicumque sequetur:  
 Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:  
 Quæ tibi polliceor reduci, rebusque secundis,  
 Hæc eadem matrique tuæ, generique manebunt.  
 Haud temerè est visum, conclamat ab agmine Volscens:  
 State viri: quæ causa viæ? qui estis in armis?  
 Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra;  
 Sed celerare fugam in sylvas, et fidere nocti.  
 Objiciunt equites sese ad divortia nota  
 Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.  
 Nisus abit: jamque imprudens evaserat hostes;  
 Ut stetit, et frustra absentem respexit amicum:  
 Euryale infelix, quâ te regione reliqui?  
 Pervenit, ac videt Euryalum, quem jam manus omnis,  
 Fraude loci et noctis, subito turbante tumultu,  
 Oppressum rapit et conantem plurima frustra.  
 Dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque  
 Stridens, trajectoque hæsit tepefacta cerebro.  
 Sævit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam  
 Auctorem, nec quo se ardens immittere possit.  
 Tu tamen interea calido mihi sanguine pœnas  
 Persolves amborum, inquit. Simul ense recluso  
 Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens  
 Conclamat Nisus: nec se celare tenebris  
 Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:  
 Me, me: adsum qui feci: in me convertite ferrum,  
 O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste, nec ausus,  
 Nec potuit: cœlum hoc et conscia sidera testor:  
 Tantum infelicem nimium dilexit amicum.  
 Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus

Transadigit costas, et candida pectora rupit.  
 At Nisus ruit in medios, solumque per omnes  
 Volscentem petit, in solo Volscente moratur:  
 Tum super examinem sese projectit amicum  
 Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.

### Ex libro XI.

Velocem interea superis in sedibus Opim,  
 Unam ex virginibus sociis sacrâque catervâ,  
 Compellabat, et has tristes Latonia voces  
 Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,  
 O virgo, et nostris nequicquam cingitur armis,  
 Cara mihi ante alias: neque enim novus iste Dianæ  
 Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.  
 Pulsus ob invidiam regno, viresque superbas,  
 Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,  
 Infantem fugiens media inter prælia belli  
 Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit  
 Nomine Casmillæ, mutata parte, Camillam.  
 Ipse sinu præ se portans juga longa petebat  
 Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,  
 Et circumfuso volitabant milite Volsci.  
 Ecce fugæ medio summis Amasenus abundans  
 Spumabat ripis, tantus se nubibus imber  
 Ruperat. Ille innare parans, infantis amore  
 Tardatur, caroque oneri timet: omnia secum  
 Versanti, subito vix hæc sententia sedit.  
 Telum immane manu valida quod fortè gerebat  
 Bellator, solidum nodis et robore cocto;  
 Huic natam, libro et sylvestri subere clausam,  
 Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ.  
 Quam dextra ingenti librans, ita ad æthera fatur:  
 Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,  
 Ipse pater famulam voveo: tua prima per auras  
 Tela tenens supplex hostem fugit: accipe, testor,  
 Diva tuam, quæ nunc dubiis committitur auris.  
 At Metabus, magna proprius jam urgente caterva,  
 Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine victor  
 Gramineo, donum Triviæ, de cespite vellit.

Hic natam, in dumis interque horrentia lustra,  
 Armentalis equæ mammis et lacte ferino  
 Nutribat, teneris immulgens ubera labris.  
 Utque pedum primis infans vestigia plantis  
 Institerat, jaculo palmas oneravit acuto:  
 Spiculaque ex humero parvæ suspendit et arcum.  
 Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,  
 Tigridis exuviae per dorsum à vertice pendent.  
 Tela manu jam tum tenera puerilia torsit,  
 Et fundam tereti circum caput egit habena,  
 Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.  
 Multæ illam frustra Tyrrhena per oppida matres  
 Optavere nurum: sola contenta Diana,  
 Æternum telorum et virginitatis amorem  
 Intemerata colit. Vellem haud correpta fuisse  
 Militia tali, conata lacescere Teucros:  
 At medias inter cædes exsultat Amazon,  
 Unum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla.  
 Fortè sacer Cybele Chloreus, olimque sacerdos,  
 Insignis longè Phrygiis fulgebat in armis:  
 Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma  
 Troia, captivo sive ut se ferret in auro  
 Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ  
 Cæca sequebatur: totumque incauta per agmen,  
 Fœmineo prædæ et spoliorum ardebat amore.  
 Telum ex insidiis quum tandem, tempore capto,  
 Concitat, et superos Aruns sic voce precatur:  
 Summe Deum, sancti custos Soractis Apollo,  
 Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis.  
 Nec sonitus memor, aut venientis ab æthere teli,  
 Hasta snb exertam donec perlata papillam  
 Hæsit, virgineumque altè bibt acta cruentem.  
 Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem  
 Suscipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns.

---

## XLII.

## Horatii lib. I, ode XV.

Pastor quum traheret per freta navibus  
Idæis Helenam perfidus hospitam,  
Ingrato celeres obruit otio

Ventos, ut caneret fera  
Nereus fata. Mala ducis avi domum,  
Quam multo repetet Græcia milite,  
Conjurata tuas rumpere nuptias,

Et Regnum Priami vetus.  
Eheu! quantus equis, quantus adest viris  
Sudor! quanta moves funera Dardanæ  
Gentil jam galeam Pallas et ægida,

Currusque et rabiem parat.  
Nequicquam Veneris præsidio ferox,  
Pectes cæsariem, grataque fœminis  
Imbelli cithara carmina divides.

Nequicquam thalamo graves  
Hastas, et calami spicula Gnossii  
Vitabis, strepitumque, et celarem sequipas  
Ajacem, tamen heul serus adulteros

Crines pulvere collines.  
Non Laertiadem, exitium tuæ  
Gentis, non Pylium Nestora respicis?  
Urgent impavidi te Salaminius,

Teucerque, et Sthenelus sciens  
Pugnæ: sive opus est imperitare equis,  
Non auriga piger. Merionem quoque  
Nosces. Ecce furit te reperire atrox

Tyrides, melior patre:  
Quem tu, cervus uti vallis in altera  
Visum parte lupum graminis immemor,  
Sublimi fugies mollis anhelitu,

Non hoc pollicitus tuæ.  
Iracunda diem proferet Ilio,  
Matronisque Phrigum classis Achillei,

Post certas hyemes uret Achaicus  
Ignis Iliacas domos.

### Ode XXIV.

Quis desiderio sit pudor aut modus  
Tam cari capit is? præcipe lugubres  
Cantus, Melpomene, cui liquidam pater  
    Vocem cum cithara dedit.  
Ergo Quintilium perpetuus sopor  
Urget cui Pudor, et justitiae soror,  
Incorrupta Fides, nudaque Veritas,  
    Quando ullum invenient parem?  
Multis ille bonis flebilis occidit:  
Nulli flebilius, quam tibi, Virgili.  
Tu frustra pius, heu! non ita creditum  
    Poscis Quintilium deos.  
Quod si Threicio blandius Orpheo  
Auditam moderere arboribus fidem,  
Non vanæ redeat sanguis imagini,  
    Quam virga semel horrida,  
Non lenis precibus fata reclidere,  
Nigro compulerit Mercurius gregi.  
Durum: sed levius fit patientia,  
    Quicquid corrigere est nefas.

### Libri II ode XI.

Quid bellicosus Cantaber, et Schythes,  
Hirpine Quinti, cogitet, Adria  
    Divisus objecto, remittas  
    Quærere; nec trepides in usum  
Poscentis ævi pauca. Fugit retro  
Levis Juventas, et Decor, arida  
    Pellente lascivos Amores  
    Canitie, facilemque Somnum.  
Non semper idem floribus est honos  
Vernis, neque uno Luna rubens uitet  
    Vultu. Quid æternis minorem  
    Consiliis animum fatigas?

Cur non sub alta vel platano, vel hac  
 Pinu jacentes sic temere, et rosa  
 Canos odorati capillos,  
 Dum licet, Assyriaque nardo,  
 Potamus uncti? Dissipat Evius  
 Curas edaces. Quis puer ocyus  
 Restinguet ardantis Falerni  
 Pocula prætereunte lympha?

### Libri III ode III.

Justum et tenacem propositi virum,  
 Non civium ardor prava jubentium,  
 Non vultus instantis tyranni  
 Mente quatit solida, neque Auster,  
 Dux inquieti turbidus Adriæ,  
 Nec fulminantis magna Iovis manus:  
 Si fractus illabatur orbis,  
 Impavidum ferient ruinae.  
 Hac arte Pollux, et vagus Hercules  
 Innixus, arces attigit igneas:  
 Quos inter Augustus recumbens  
 Purpureo bibt ore nectar.

### Libri IV ode IV.

Qualem ministrum fulminis alitem,  
 Cui rex Deorum regnum in aves vagas  
 Permisit, expertus fidelem  
 Jupiter in Ganymede flavo,  
 Olim juventas, et patrius vigor  
 Nido laborum propulit inscium;  
 Vernique, jam nimbis remotis,  
 Insolitos docuere nisus  
 Venti paventem; mox in ovilia  
 Demisit hostem vividus impetus;  
 Nunc in reluctantates dracones  
 Egit amor dapis atque pugnæ:  
 Qualemve lætis caprea pascuis  
 Intenta, fulvæ matris ab ubere

Jam lacte depulsum leonem,  
 Dente novo peritura vidit:  
 Videre Rhæti bella sub Alpibus  
 Drusum gerentem, et Vindelici: quibus  
 Mos unde deductus per omne  
 Tempus Amazona securi  
 Dextras obarmet, quæcere distuli:  
 Nec scire fas est omnia. Sed diu  
 Lateque victrices catervæ  
 Consiliis juvenis revictæ,  
 Sensere, quid mens ritè, quid indeoæ  
 Nutrita faustis sub penetralibus  
 Posset, quid Augusti paternus  
 In pueros animus Nerones.  
 Fortes creantur fortibus, et bonis:  
 Est in juvencis, est in equis patrum  
 Virtus; nec imbellem feroceæ  
 Progenerant aquilæ columbam.  
 Doctrina sed vim promovet insitam,  
 Rectique cultus pectora roborant:  
 Utcumque defecere mores,  
 Dedecorant bene nata culpæ.

### Carmen seculare.

Phœbe, silvarumque potens Diana,  
 Lucidum cœli decus, o colendi  
 Semper, et culti, date, quæ precamur  
 Tempore sacro:  
 Quo sybillini monuere versus,  
 Virgines lectas, puerosque castos,  
 Dis, quibus septem placuere colles,  
 Dicere carmen.  
 Alme sol, curru nitido diem qui  
 Promis et celas, aliasque et idem  
 Nasceris, possis nihil urbe roma  
 Visere majus.  
 Rite maturas aperire partus  
 Lenis Ilithya, tuere matres;  
 Sive tu Lucina probas vocari,

Seu Genitalis.  
 Diva, producas sobolem; Patrumque  
 Prosperes decreta super jugandis  
 Foeminois, prolisque novae feraci  
 Lege marita:  
 Certus undenos decies per annos  
 Orbis ut cantus referatque ludos  
 Ter die claro, totiesque grata  
 Nocte frequentes.

### XLIV.

#### Ex Satyra I lib. I.

Qui fit, Mœcenas, ut nemo, quam sibi sortem  
 Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa  
 Contentus vivat? laudet diversa sequentes?  
 O fortunati mercatores, gravis annis  
 Miles ait, multo jam fractus membra labore.  
 Contrà mercator, navim jactantibus austris,  
 Militia est potior: quid enim? concurritur: horæ  
 Momento cita mors venit, aut victoria læta.  
 Agricolam laudat juris legumque peritus,  
 Sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat.  
 Ille, datis vadibus, qui rure extractus in urbem est,  
 Solos felices viventes clamat in urbe.  
 Cætera de genere hoc, adeo sunt multa, loquacem  
 Delassare valent Fabium. Ne te morer, audi,  
 Quo rem deducam. Si quis Deus, en ego, dicat,  
 Jam faciam quod vultis; eris tu, qui modò miles,  
 Mercator; tu, consultus modo, rusticus: Hinc vos,  
 Vos hinc, mutatis discedite partibus: eja,  
 Quid statis? Nolint; atqui licet esse beatis.  
 Præterea, ne sic, ut qui jocularia, ridens  
 Percurram; quamquam ridentem dicere verum  
 Quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi  
 Doctores, elementa velint ut discere prima:  
 Sed tamen amoto quæramus seria ludu,

**Est modus in rebus: sunt certi denique fines,  
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.**

### **Ex satyra X.**

Nempe incomposito dixi pede currere versus  
Lucili? Quis tam Lucili fautor ineptè est,  
Ut non hoc fateatur ? At idem, quod sale multo  
Urbem defricuit, charta laudatur eadem:  
Nec tamen hoc tribuens, dederim quoque cætera: nam sic  
Et Liber? mimos, ut pulchra poemata, mirer.  
Ergo non satis est risu diducere rictum  
Auditoris: et est quædam tamen hic quoque virtus.  
Est brevitate opus, ut currat sententia, neu se  
Impediat verbis lassas onerantibus aures.  
Et sermone opus est modò tristi, sæpe jocoso,  
Defendente vicem modò rhetoris atque poetæ;  
Interdum urbani, parcentis viribus, atque  
Extenuantis eas consultò. Ridiculum acri  
Fortius et melius magnas plerumque secat res.  
Atqui ego cum Græcos facerem, natus mare citra,  
Versiculos, vetuit me tali voce Quirinus,  
Post medium noctem visus, cum somnia vera:  
In silvam non ligna feras insanius, ac si  
Magnas græcorum malis implere catervas.  
At dixi fluere hunc lutulentum, sæpe ferentem  
Plura quidem tollenda relinquendis. Age, quæso,  
Tu nihil in magno doctus reprehendis Homero?  
Nil comis tragic? mutat Lucilius Acc?  
Non ridet versus Enni gravitate minores,  
Cum de se loquitur, non ut majore reprensisi?  
Si foret hoc nostrum fato dilatus in ævum,  
Detereret sibi multa; recideret omne, quod ultra  
Perfectum traheretur; et in versu faciendo  
Sæpe caput scaberet, vivos et roderet unguies.  
Sæpe stilum vertas, iterum quæ digna legi sint,  
Scripturus: neque, te ut miretur turba, labores,  
Contentus paucis lectoribus. An tua demens  
Vilibus in ludis dictari carmina malis?  
Non ego: nam satis est equitem milii plaudere: ut audax,

Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.

**Ex lib. I epistola II. Ad Lollium.**

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,  
 Dum tu declamas Rōmāe, Præneste relegi:  
 Qui, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,  
 Plenius ac melius Chrysippo et Crantore dicit.  
 Cur ita crediderim, nisi quid te detinet, audi:  
 Fabula, quæ Paridis propter narratur amorem  
 Græcia Barbariæ lento collisa duello,  
 Stultorum regum et populorum continet æstus.  
 Antenor censem bellum præcidere causam.  
 Quid Paris? ut salvus regnet vivatque beatus,  
 Cogi posse negat. Nestor componere lites  
 Inter Pelidem festinat et inter Atridem:  
 Hunc amor, ira quidem communiter urit utrumque:  
 Quidquid delirant reges, plectuntur Achivi.  
 Seditione, dolis, scelere, atque libidine et ira,  
 Iliacos intra muros peccatur et extra.  
 Rursus, quid virtus et quid sapientia possit,  
 Utile proposuit nobis exemplar Ulyssem:  
 Qui domitor Trojæ, multorum providus urbes  
 Et mores hominum inspexit, latumque per æquor,  
 Dum sibi, dum sociis redditum parat, aspera multa  
 Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.  
 Sirenum voces, et Circes pocula nosti;  
 Quæ si cum sociis stultus cupidusque bibisset,  
 Sub domina meretrice fuisse turpis et excors:  
 Vixisset canis immundus, vel amica luto sus.  
 Quæ lædunt oculum, festinas demere; si quid  
 Est animum, differs curandi tempus in annum?  
 Dimidium facti, qui cœpit, habet. Sapere aude.  
 Quod satis est, cui contigit, hic nihil amplius optet.  
 Non domus, et fundus, non æris acervus et auri  
 Ægroto domini deduxit corpore febres,  
 Non animo curas. Valeat possessor oportet,  
 Si comportatis rebus bene cogitat uti.  
 Sincerum est nisi vas, quodcumque infundis, acescit.  
 Sperne voluptates: nocet empta dolore voluptas.

Semper avarus eget; certum voto pete finem.  
 Ira furor brevis est. Animum rege, qui nisi paret,  
 Imperat; hunc frenis, hunc tu compesce catena.  
 Quo semel est imbuta recens, servabit odorem  
 Testa diu. Quod si cessas, aut strenuus anteis,  
 Nec tardum opperior, nec præcedentibus insto.

### Ex lib. I epistola XX, ad librum suum.

Hoc quoque te manet, ut pueros elementa docentem  
 Occupet extremitas in vicis balba senectus.  
 Cum tibi sol tepidus plures admoverit aures;  
 Me libertino natum patre, et in tenui re  
 Majores pennas nido extendisse loqueris:  
 Ut quantum generi demas, virtutibus addas:  
 Me primis urbis belli placuisse domique:  
 Corporis exigui, præcanum, solibus aptum;  
 Irasci celerem, tamen ut placabilis essem.  
 Forte meum si quis te percontabitur ævum;  
 Me quater undenos sciat implevisse Decembres,  
 Collegam Lepidum quo duxit Lollius anno.

### Ex lib. II epistola I, ad Augustum.

Mutavit mentem populus levis, et calet uno  
 Scribendi studio; pueri patresque severi  
 Fronde comas vincti coenant et carmina dictant.  
 Ipse ego qui nullos me affirmo scribere versus,  
 Invenior Parthis mendacior; et prius orto  
 Sole vigil, calamum et chartas et scrinia posco.  
 Navem agere ignarus navis timet: abrotonum ægro  
 Non audet, nisi qui didicit, dare, quod medicorum est,  
 Promittunt medici: tractant fabrilia fabri.  
 Scribimus indocti, doctique poemata passim.  
 Hic error tamen, et levis haec insania, quantas  
 Virtutes habeat, sic collige: vatis avarus  
 Non temere est animus, versus amat, hoc studet unum;  
 Detrimenta, fugas servorum, incendia ridet.

## Ex lib. II epistola II, ad Julianum Florum.



Romæ nutriti mihi contigit, atque doceri  
Iratus Grajis quantum nocuisset Achilles.  
Adjecere bonæ paulo post artis Athenæ:  
Scilicet, ut possem curvo dignoscere rectum,  
Atque inter silvas Academi quærere verum.  
Dura sed emovere loco me tempora grato;  
Civilisque rudem belli tulit æstus in arma,  
Cæsaris Augusti non responsura lacertis.  
Unde simul primum me dimisere Philippi  
Decisis humilem pennis, inopemque paterni  
Et laris et fundi, paupertas impulit audax,  
Ut versus facerem: sed, quod non desit, habentem,  
Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ,  
Ni melius dormire putem, quam scribere versus?

---

**XLVI.****Albius Tibullus. libri I elegia XI.**

Quis fuit, horrendos primus qui protulit enses?  
Quam ferus, et vere ferreus ille fuit!  
Tunc cædes hominum generi, tunc prælia nata,  
Tum breviter diræ mortis aperta via est.  
At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra  
Vertimus, in sævas quod dedit ille feras.  
Divitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt.  
Faginus adstabat cum scyphus ante dapes.  
Non arces, non vallus erat; somnumque petebat  
Securus saturas dux gregis inter oves.  
Tum mihi vita foret, vulgi nec tristia nossem  
Arma, nec audissem corde micante tubam.  
Nunc ad bella trahor, et jam quis forsitan hostis  
Hæsura in nostro tela gerit latere.

Sed patrii servate Lares: aluistis et udem,  
 Cursarem vestros cum tener ante pedes.  
 Neu pudeat prisco vos esse e stipite factos:  
 Sic veteris sedes incoluistis avi.  
 Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu  
 Stabat in exigua ligneus æde Deus.  
 Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,  
 Seu dederat sanctæ spicae serta comæ.  
 Atqui aliquis voti compos liba ipse ferebat,  
 Postque comes purum filia parva favum.  
 At nobis ærata, Lares, depellite tela:  
 Hostia erit plena rustica porcus hara.  
 Hanc pura cum veste sequar, myrtoque canistra  
 Vincta geram, myrto vinctus et ipse caput.  
 Sic placeam vobis: alius sic fortis in armis,  
 Sternat et adversos Marte favente duces:  
 Ut mihi potanti possit sua dicere facta  
 Miles, et in mensa pingere castra mero.  
 Quis furor est atram bellis arcessere mortem?  
 Imminet, et tacito clam venit illa pede.  
 Non seges est infra, non vinea culta; sed audax  
 Cerberus, et stygiæ navita turpis aquæ.  
 Illic percussisque genis, usq[ue] capillo  
 Errat ad obscuros pallida turba lacus.  
 Quam potius laudandus hic est, quem prole parata  
 Occupat in parva pigra senecta casa!  
 Ipse suas sectatur oves, at filius agnos:  
 Et calidam fesso comparat uxor aquam.  
 Sic ego sim, liceatque caput candescere canis;  
 Temporis et prisci facta referre senem.  
 Interea Pax arva colat. Pax candida primum  
 Duxit aratueros sub juga curva boves.  
 Pax aluit vites, et succos condidit uvae,  
 Funderet ut nato testa paterna merum.  
 Pace bidens, vomerque vigint; at tristia duri  
 Militis in tenebris occupat arma situs.  
 Rusticus e lucoque vehit, male sobrius, ipso  
 Uxorem plaustro, progeniemque domum.  
 At nobis pax alma, veni, spicamque teneto:

Perfluat et pomis candidus ante sinus.

### Ex elegia IV lib. III.

Tandem quum summo Phœbus prospexit ab ortu,  
 Pressit languentis lumina sera quies.  
 Hic juvenis casta redimitus tempora lauro  
 Est visus nostra ponere sede pedem.  
 Non illo quicquam formosius ulla priorum  
 Ætas, humanum nec videt illud opus.  
 Intonsi crines longa cervice fluebant:  
 Stillabat Tyrio myrtea rore coma.  
 Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,  
 Et color in niveo corpore purpureus.  
 Ut juveni primum virgo deducta marito,  
 Inficitur teneras ore rubente genas.  
 Ut quum contexunt amaranthis alba puellæ  
 Lilia, et Autumno candida mala rubent.  
 Imæ videbatur talis illudere palla;  
 Namque hæc in nitido corpore vestis erat.  
 Artis opus raræ fulgens testudine et auro  
 Pendebat læva garrula parte lyra.

### Propertius, lib. III elegia V.

De morte Poeti ob avaritiam.  
 Ergo sollicitæ tu causa, pecunia, vitæ es:  
 Per te immaturum mortis adimus iter.  
 Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes:  
 Semina curarom de capite orta tuo.  
 Tu Poëtum ad Pharios tendentem linta portus  
 Obruis insano terque quaterque mari;  
 Nam dum te sequitur, primo miser excidit ævo,  
 Et nova longinquis piscibus esca natat.  
 Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,  
 Cum moribunda niger clauderet ora liquor:  
 Dii maris, Ægei quos sunt penes æquora, Venti, (1)  
 Et quæcumque meum degravat unda caput;

(1) Alii, Ponti.

Quo rapitis miseros primæ lanuginis annos?  
 Adtulimus longas in freta vestra manus.  
 Ah miser, Alcyonum scopulis adfigar acutis:  
 In me cœruleo fuscina sumpta Deo est.  
 At saltem Italæ regionibus advehat æstus;  
 Hoc de me, sat erit, si modo matris erit.  
 Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus:  
 Ultima quæ Pœto noxque diesque fuit.  
 Pœte, quid ætatem numeras? quid cara natanti  
 Mater in ore tibi est? non habet unda Deos.  
 Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis  
 Omnia detrito vincula fune cadunt.  
 Et mater non justa piæ dare debita terræ,  
 Nec pote cognatos inter humare rogos.  
 Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ:  
 Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.  
 Infelix Aquilo, raptæ timor Orithyiae,  
 Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?  
 Aut quidnam fracta gaudes, Neptune, carina?  
 Portabat sanctos alveus ille viros.  
 O centum æquoreæ Nero genitore puellæ,  
 Et tu materno tacta dolore Thetis,  
 Vos decuit lasso supponere brachia mento:  
 Non poterat vestras ille gravare manus.  
 Reddite corpus humo; positaque in gurgite vita  
 Pœtum sponte tua, vilis arena, tegas.  
 Ut, quoties Pœti transibit nauta sepulchrum,  
 Dicat: Et audaci tu timor esse potes.  
 Ite, rates curvas, et lethi texite causas:  
 Ista per humanas mors venit acta manus.  
 Terra parum fuerat: fatis adjecimus undas:  
 Fortunæ miseras auximus arte vias.  
 Anchora te teneat, quem non fenuere penates?  
 Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?  
 Natura insidians pontum substravit avaris,  
 Ut tibi succedat, vix semel esse potest?  
 Ventorum est quodcumque paras: haud ulla carina  
 Consenuit: fallit portus et ipse fidem.  
 Sunt Agamemnonias testantia litora curas,  
 Quæ notat Argyni poena natantis aqua,

Hoc juvēne amīso clāsem nō solvit Atrides.  
 Pro qua mactata est Iphigenia mora.  
 Saxa triumphales fregere Capharea puppes,  
 Naufraga quum vasto Græcia tracta salo est.  
 Paulatim sociūm jacturam fecit Ulysses,  
 In mare cui soliti non valuerē doli.  
 Hunc parvo ferri vidi nox improba ligno:  
 Poetus ut occideret, tot coiere mala.  
 Non tulit huic pectus stridorem audire procellæ,  
 Et duro teneras lādere fune manus:  
 Sed thiye thalamo, aut Oriciæ terebinthi  
 Effulto pluma versicolore caput.  
 Huic fluctus vivos radicitus abstulit unguis,  
 Et miser invitam traxit hiatus aquam.  
 Quod si contentus patrio bove verteret agros,  
 Verbaque duxisset pondus habere mea:  
 Viveret ante suos dulcis conviva penates,  
 Pauper, at in terra, nil ubi flere potest.  
 At tu, sœve Aquilo, numquam mea vela videbis.  
 Ante foræ dominæ condar oportet iners.

---

## LXVIII.

### Ex Metamorphoseon Ovidii lib. I.

In nova fert animus mutatas dicere formas  
 Corpora. Dī, cæptis; nam vos mutasti et illas;  
 Adspirate meis, primaque ab origine mundi  
 Ad mea perpetuum deducite tempora carmen.  
 Ante mare et terras, (1) et quod legit omnia cœlum,  
 Unus erat toto naturæ vultus in orbe,  
 Quem dixere Chaos, rudis indigestaque moles;  
 Quaque fuit tellus, illic et pontus et aer,  
 Sic erat instabilis tellus, innabilis unda,  
 Lucis egens aer; nulli sua forma manebat.

---

(1) Alii; Tellus.

Obstabatque aliis aliud: quia corpore in uno  
 Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,  
 Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.  
 Astra tenent cœleste solum, formæque deorum;  
 Cesserunt nitidis habitandæ piscibus undæ:  
 Terra feras cepit: volucres agitabilis aer.  
 Sanctius his animal, mentisque capacius altæ  
 Deerat adhuc, et quod dominari in cætera posset.  
 Natus homo est, sive hunc divino semine fecit,  
 Ille opifex rerum, mundi melioris origo:  
 Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto  
 Aethere, cognati retinebat semina cœli,  
 Quam satus Iapeto, mistam fluvialibus undis,  
 Finxit in effigiem moderantum cuncta deorum.  
 Pronaque cum spectent animalia cætera terram,  
 Os homini sublime dedit: cœlumque tueri  
 Jussit, et erectos ad sidera tollere vultus.  
 Sic modo quæ fuerat rudis et sine imagine, tellus  
 Induit ignotas hominum conversa figuræ.  
 Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,  
 Sponte sua sine lege fidem rectumque colebat.  
 Postquam, Saturno tenebrosa in Tartara missa,  
 Sub Jove mundus erat, subiit argentea proles,  
 Auro deterior; fulvo pretiosior ære.  
 Tertia post illas successit ænea proles,  
 Sævior ingeniis, et ad horrida promptior arma,  
 Non scelerata tamen: de duro est ultima ferro.  
 Protinus irrumpit venæ pejoris in ævum  
 Omne nefas: fugere pudor, verumque, fidesque;  
 In quorum subiere locum, fraudesque, dolique,  
 Insidiæque, et vis, et amor sceleratus habendi.

### Ex lib. XIII.

Consedere duces: et vulgi stante corona,  
 Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax:  
 Utque erat impatiens iræ, Sigeia torvo  
 Littora conspergit, classeque in littore vultu:  
 Intendensque manus, Agimus, prô! Jupiter, inquit,  
 Ante rates causam; et mecum confertur Ulyses?

At non Hectoreis dubitavit cedere flammis,  
 Quas ego sustinui, quas hac a classe fugavi.  
 Tutius est igitur fictis contendere verbis,  
 Quam pugnare manu. Sed nec mihi dicere promptum,  
 Nec facere est isti; quantumque ego Marte feroci,  
 Quantum acie valeo, tantum valet iste loquendo.  
 Nec memoranda tamen vobis mea facta, Pelasgi,  
 Esse reor: vidistis enim. Sua narret Ulysses,  
 Quæ sine teste gerit, quorum nox conscia sola est.  
 Præmia magna peti fateor: sed demit honorem  
 Æmulus Ajaci: non est tenuisse superbum,  
 Sit licet hoc ingens, quicquid speravit Ulysses.  
 Iste tulit pretium jam nunc certaminis hujus,  
 Quo (1) cum victus erit, mecum certasse feretur.  
 Finierat Telamone satus: Laertius heros:  
 Si mea cum vestris valuerint vota, Pelasgi,  
 Non foret ambiguus tanti certaminis hæres:  
 Tuque tuis armis, nos te poliremur, Achille.  
 Quem quoniam non æqua mihi, vobisque negarunt  
 Fata, (manuque simul veluti lachrymantia tersit  
 Lumina), quis magno melius succedat Achilli,  
 Quam per quem magnus Danais successit Achilles?  
 Huic modo ne prosit, quod, ut est, hebes esse videtur,  
 Neve mihi noceat, quod vobis semper, Achivi,  
 Profuit ingenium: meaque hæc facundia, si qua est,  
 Quæ nunc pro domino, pro vobis sæpe locuta est,  
 Invidia careat: bona nec sua quisque recuset.  
 Nam genus, et proavos, et quæ non fecimus ipsi,  
 Vix ea nostra voco. Sed enim quia retulit Ajax  
 Esse Jovis prenepos, nostri quoque sanguinis auctor  
 Jupiter est: totidemque gradus distamus ab illo.  
 Nam mihi Lærtes pater est, Arcesius illi,  
 Jupiter huic: neque in his quisquam damnatus et exul.  
 Est quoque per matrem Cyllenius addita nobis  
 Altera nobilitas. Deus est in utroque parente.  
 Mota manus procerum est: et quid facundia possit,  
 Re patuit: fortisque viri tulit arma disertus.

---

(1) Alii, qui.

## Ex Fatorum Ovidii lib. I.



Tempora cum causis Latium digesta per annum,  
 Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.  
 Excipe pacato, Cæsar Germanice, vultu  
 Hoc opus; et timidæ dirige navis iter.  
 Officioque levem non aversatus honorem,  
 Huic tibi devoto, numine dexter ades.  
 Sacra recognosces annalibus eruta priscis;  
 Et quo sit merito quæque notata dies.  
 Invenies illic et festa domestica yobis:  
 Sæpe tibi pater est, sæpe legendus avus.  
 Tempora digereret cum conditor urbis, in anno  
 Constituit menses quinque bis esse suo.  
 Scilicet arma magis quam sidera, Romule, noras,  
 Curaque finitimos vincere major erat.  
 Martis erat primus mensis: venerisque secundus;  
 Hæc generis princeps: ipsius ille pater.  
 Tertius a senibus, juvenum de nomine quartus,  
 Quæ sequitur, numero turba notata fuit.  
 At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras:  
 Mensibus antiquis præpositique duos.  
 Ne tamen ignores variorum jura dierum:  
 Non habet officium lucifer omnis idem.  
 Ille Nefastus erit, per quem tria verba silentur:  
 Fastus erit, per quem lege licebit agi.  
 Neu toto perstare die sua jura putaris:  
 Qui jam fastus erit, mane nefastus erat.

## Ex lib. VI.



Hic quoque mensis habet dubias in nomine causas;  
 Quæ placeant, positis omnibus, ipse leges.  
 Facta canam; sed erunt, qui me finxisse loquentur:  
 Nullaque mortali numina visa putent.  
 Est Deus in nobis: agitante calescimus illo;  
 Impetus hic sacræ semina mentis habet.  
 Fas mihi præcipue vultus vidiisse deorum;  
 Vel quia sum vates; vel quia sacra cano.

Est nemus arboribus densum, secretus ab omni  
 Voce locus, si non obstreperetur aquis.  
 Hic ego quærebam, cœpti quæ mensis origo  
 Esset, et in cura nominis hujus eram.  
 Ecce deas vidi; non quas præceptor arandi  
 Viderat, Ascreas cum sequeretur oves.  
 Nec quas Priamides in aquosæ vallibus Idæ  
 Contulit; ex illis sed tamen una fuit:  
 Ex illis fuit una, sui germana mariti:  
 Haec erat, agnovi, quæ stat in arce Jovis.  
 Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar,  
 Tunc Dea, quos fecit, sustulit ipsa metus.  
 Namque ait, o vates romani conditor anni,  
 Ause per exiguos magna refferre modos:  
 Jus tibi fecisti numen cœlestis videndi,  
 Cum placuit numeris condere festa tuis.  
 Ne tamen ignores, vulgique errore traharis,  
 Junius a nostro numine nomen habet.  
 Est aliquid nupsisse Jovi, Jovis esse sororem:  
 Fratre magis dubito glorier, anne viro.  
 Si genus adspicitur; Saturnum prima parentem  
 Feci: Saturni sors ego prima fui.  
 A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est:  
 Haec illi a cœlo proxima terra fuit.  
 Si torus in pretio est, dico matrona Tonantis,  
 Juncta que Tarpejo sunt mea templa Jovi.

## L.


## Ex amorum Ovidii lib. I elegia I.

Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur  
 Strata? nec in lecto pallia nostra sedent?  
 Et vacuus somno noctem, quam longa, peregi:  
 Lassaque versati corporis ossa dolent.  
 Nam puto sentirem, si quo tentarer amore;

**A**n subit? et tacta callidus arte nocet?  
 Sic erat: hæserunt tenues in corde sagittæ.  
 Et possessa ferus pectora versat amor.  
 Cedimus? an subitum luctando accendimus ignem?  
 Cedamus: leve fit, quod bene fertur, onus.  
 Vidi ego jactatas mota face crescere flamas:  
 Et vidi nullo concutiente mori.  
 Verbera plura ferunt, quam quos juvat usus aratri,  
 Detrectant pressi dum juga prima boves.  
 Asper equus duris contunditur ora lupatis;  
 Frena minus sentit, quisquis ad arma facit.  
 Acrius invitatos multoque ferocius urget,  
 Quam qui servitium ferre fatentur, amor.  
 En ego confiteor, tua sum nova præda, Cupido:  
 Porrigimus victas ad tua vincla manus.  
 Nil opus est bello: veniam, pacemque rogamus:  
 Nec tibi laus, armis victus inermis, ero.  
 Necte comam myrto: maternas junge columbas:  
 Qui deceant, currus vitricus ipse dabit.  
 Inque dato curru, populo clamante triumphum,  
 Stabis: et adjunctas arte movebis aves.  
 Ducentur capti juvenes, captæque puellæ,  
 Hæc tibi magnificus pompa triumphus erit.  
 Ipse ego præda recens, factum modo vulnus habebo,  
 Et nova captiva vincula mente feram:  
 Mens bona ducetur manibus post terga revinctis,  
 Et pudor, et castris quidquid amoris obest.  
 Omnia te metuent: ad te sua brachia tendent;  
 Vulgus Io magna voce triumphe canet.  
 Blanditiæ comites tibi erunt, terrorqne, furorque;  
 Assidue partes turba secuta tuas.  
 His tu militibus superas hominesque deosque:  
 Hæc tibi si demas commoda, nudus eris.  
 Læta triumphanti de summo mater Olympo  
 Plaudet: et appositæ sparget in ore rosas.  
 Tu penna pulchros gemina variante capillos,  
 Ibis in auratis aureus ipse rotis.  
 Tum quoque non paucos (si te bene novimus) ures:  
 Tum quoque præteriens vulnera multa dabis.  
 Non possunt, licet ipse velis, cessare sagittæ:

Fervida vicino flamma vapore nocet.  
 Talis erat domita Bachus Gangetide terra,  
 Tu gravis alitibus, tigribus ille fuit.  
 Ergo cum possim sacri pars esse triumphi:  
 Parce tuas in me perdere victor opes.  
 Aspice cognati felicia Cæsaris arma:  
 Qua vicit, victos protegit ille manu.

### Ex amorum lib. III elegia VIII.



Memnona si mater, mater ploravit Achillem,  
 Et tangunt magnas tristia fata deas:  
 Flebilis indignos Elegeia solve capillos,  
 Ah! nimis ex vero nunc tibi nomen erit.  
 Ille tui vates operis, tua fama Tibullus,  
 Ardet in extracto corpus inane rogo.  
 Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,  
 Et fractos arcus, et sine luce facem.  
 Aspice demissis ut eat miserabilis alis:  
 Pectoraque infesta tundat aperta manu.  
 Excipiunt lacrymas sparsi per colla capilli:  
 Oraque singultu concutiente sonant.  
 Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt,  
 Egressum castris, pulcher Iule, tuis.  
 Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,  
 Quam juveni rupit cum ferus inguen aper.  
 At sacri vates, et divum cura vocamur:  
 Sunt etiam, qui nos numen habere putent.  
 Scilicet omne sacrum mors importuna profanat:  
 Omnibus obscuras injicit illa manus.  
 Quid pater Ismario, quid pater profuit Orpheo?  
 Carmine quid victas obstupuisse feras?  
 Ælinon in silvis idem pater, Ælinon, altis  
 Dicitur invita concinuisse lyra.  
 Aspice Maeonidem, a quo ceu fonte perenni  
 Vatum pieriis ora rigantur aquis.  
 Hunc quoque summa dies nigro summersit Averno,  
 Effugiunt avidos carmina sola rogos.  
 Durat opus vatum, Trojani fama laboris,  
 Tardeque nocturno tela retexta dolo.

Sic Nemesis longum, sic Delia, nomen habebunt,  
 Altera, cura recens, altera, primus amor.  
 Quid nos sacra juvant? quid nunc *Ægyptia* prosunt  
 Sistra? quid in vacuo secubuisse toro.  
 Cum rapiant mala fata bonos; ignoscite fasso:  
 Sollicitor nullos esse putare Deos.  
 Vive pius, moriere tamen: cole sacra; coletem  
**Mors** tamen (1) à templis in cava busta trahet,  
 Carminibus confide bonis: tacet ecce Tibullus:  
 Vix manet è toto parva quod urna cepit.  
 Tene, sacer vates, flammæ rapuere rogales?  
 Pectoribus pasci nec timuere tuis?  
 Aurea sanctorum potuissent templa deorum  
 Urere, quæ tantum sustinuere nefas.  
 Avertit vultus, Erycis quæ possidet arces:  
 Sunt quoque qui lacrymas continuisse negant.  
 Sed tamen hoc melius; quam si Phœacia tellus  
 Ignotum vili supposuisset humo.  
 Hic certe manibus fugientis pressit ocellos  
 Mater: et in cineres ultima dona tulit.  
 Hic soror in partem misera cum matre doloris  
 Venit, inornatas dilacerata comas.  
 Cumque tuis sua junxerunt Nemesisque, priorque,  
 Oscula; nec solos destituere rogos:  
 Delia discedens, felicius, inquit, amata  
 Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.  
 Cui Nemesis, quid, ait, tibi sint mea damna dolori?  
 Me tenuit moriens deficiente manu.  
 Si tamen à nobis aliquid, nisi nomen et umbra,  
 Restat; in Elysia valle Tibullus erit.  
 Obvius huic venias hedera juvenilia cinctus  
 Tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo.  
 Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,  
 Sanguinis atque animæ, prodige Galle, tuæ.  
 His comes umbra tua est: si qua est modo corporis umbra,  
 Auxisti numeros, culte Tibulle, pios.  
 Ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna:  
 Et sit humus cineri non onerosa tuo.

(1) *Alii, gravis.*

## Quintilian, lib. X. instit. orat. cap. I.

Jam Varii Thyestes cuilibet græcorum comparari potest.  
Ovidii Medea videtur mihi ostendere, quantum vir ille præstare  
potuerit, si ingenio suo temperare, quam indulgere maluisset.

## D. Laberius in prologo.

Necessitas, cuius cursus transversi impetum  
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,  
Quo me detrusit pene extremis sensibus?  
Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio,  
Nullus timor, vis nulla, nulla auctoritas  
Movere potuit in juventa de statu:  
Ecce in senecta, ut facile labescit loco  
Viri excellentis mente clemente edita,  
Submissa placidè blandiloquens oratio.  
Etenim ipsi dii negare cui nihil potuerunt,  
Hominem me denegare quis posset pati?  
Ego bis tricenis annis actis sine nota,  
Eques romanus ex lare egressus meo,  
Domum revertar Mimus: nimirum hoc die  
Uno plus vixi, quam vivendum fuit;  
Fortuna immoderata in bono æque atque in malo,  
Si tibi erat libitum literarum laudibus  
Floris cacumen nostræ famæ frangere:  
Cur quum vigebam membris præviridantibus,  
Satisfacere populo et tali quum poteram viro,  
Non flexibilem me concurvasti, ut carperes?  
Nunc me quo dejicis? Quid ad scenam affero?  
Decorem formæ, an dignitatem corporis?  
Animi virtutem, an vocis jucundæ sonum?  
Ut hedera serpens vires arboreas necat,  
Ita me vetustas amplexu annorum uecat,  
Sepulchris similis, nil nisi nomen retineo.

## Publius Sirus.

---

**A**mor animi arbitrio sumitur, non ponitur.  
**A**mare et sapere vix Deo conceditur.  
**A**mans, quid cupiat, scit; quid sapiat, non videt.  
**B**enevoli conjunctio animi, maxima est cognatio.  
**A**amicos res opimæ parant, adversæ probant.  
 Ita crede amico, ne sit inimico locus,  
 Fortunam citius reperias, quam retineas.  
 Levis est fortuna, cito reposcit, quæ dedit.  
 Lex universi est, quæ jubet nasci et mori.  
**M**ori necesse est, sed non quoties volueris.  
**B**is est gratum, qod opus est, ultro si offeras.  
**I**nopi beneficium bis dat, qui dat celeriter.  
**A**b alio expectes, alteri quod feceris.  
**F**idem qui perdit, nihil potest ultra perdere.  
**M**iserum est tacere cogi, quod cupias loqui.  
**H**æredis fletus, sub persona risus est.  
**E**x vitio alterius sapiens emendat suum.  
 Deliberandum est diu, quod statuendum est semel.  
 De inimico ne loquare malum, sed cogites.  
**M**alum consilium est, quod mutari non potest.  
**A**lienum nobis, nostrum plus aliis placet.  
 Cui plus licet, quam par est, plus vult, quam licet.  
 Tam deest avaro, quod habet; quam quod non habet.  
**A**varus nisi cum moritur, nihil recte facit.  
**I**racundiam qui vincit, hostem superat maximum.  
**F**eras, non culpes, quod mutari non potest.  
 Damnum appellandum est, cum mala fama lucrum.

## M. Manilius, lib. I Astronom.

---

Carmine divinas artes, et conscientia fati  
 Sidera, diversos hominum variantia casus,  
 Coelestis rationis opus, deducere mundo  
**A**ggredior, primusque novis Helicona movere  
 Cantibus, et viridi nutantes vertice silvas,  
 Hospita sacra ferens nulli memorata priorum.  
**N**unc mihi tu, Cæsar, patriæ princepsqne, paterque,

Qui regis augustis parentem legibus orbem,  
 Concessumque patri mundum: deus ipse mereris,  
 Das animum, viresque facis, ad tanta canendum.  
 Nec vero tibi natura admiranda videri  
 Pendentis terræ debet, cum pendeat ipse  
 Mundus, et in nullo ponat vestigia fundo.  
 Quod patet ex ipso motu, cursuque volantis.  
 Quum suspensus eat Phœbus, cursumque reflectat  
 Huc, illuc, agiles et servet in æthere metas.  
 Quum Luna et stellæ volitent per inania mundi,  
 Terra quoque aerias leges imitata pependit.  
 Est igitur tellus medianam sortita cavernam  
 Aeris, et toto pariter sublata profundo:  
 Nec patulas distenta plagas; sed condita im orbem  
 Undique surgentem pariter, pariterque cadentem.  
 Haec est naturæ species. Sic mundus et ipse  
 In convexa volans teretes facit esse figuræ  
 Stellarum; Solisque orbem, lunæque rotundum  
 Aspicimus tumido querentis corpore lumen,  
 Quod globus obliquos totus non accipit ignes.

### Ex libro II.

Namque canam tacita naturæ mente potentem,  
 Infusumque Deum cœlo, terrisque, fredoque,  
 Ingentem æquali moderantem fœdere molem:  
 Totumque alterno consensu vivere mundum,  
 Et rationis agi motu: cum spiritus unus  
 Per cunctas habitat parteis, atque irriget orbem  
 Omnia pervolitans, corpusque animale figuret.  
 Quod nisi cognati membris contexta maneret  
 Machina, et imposito pareret tota magistro,  
 Ac tantum mundi regeret prudentia sensum:  
 Non esset statio terris, non ambitus astris:  
 Hæreretque vagus mundus: standoque rigeret.  
 Nec sua dispositos servarent sidera cursus:  
 Noxque alterna diem fugeret, rursumque fugaret.  
 Non imbres alerent terras, non æthera venti:  
 Non pontus gravidas nubes, nec flumina pontum,  
 Nec pelagus fonteis, nec staret summa per omnis

Par semper partes æquo digesta parente,  
 Ut neque desicerent undæ, nec sidera nobis;  
 Nec cœlum justo majusve, minusve volaret;  
 Motus alit, non mutat opus: sic omnia toto  
 Dispensata manent mundo, dominumque sequuntur.  
 Hic igitur Deus, et ratio, quæ cuncta gubernat,  
 Dicit ab æthereis terrena animalia signis.

### Epigramma Germanici.

Thrax puer astricto glacie cum luderet Hebro,  
 Frigore concretas pondere rupit aquas:  
 Dumque unæ partes rapido traherentur ab amni,  
 Præsecuit tenerum lubrica texta caput.  
 Orba quod inventum mater dum conderet urna,  
 Hoc peperi flammis; cætera, dixit, aquis.

### Ex Gratii Falisci Cynegetico.

Dona cano Divum, lætas venantibus artes,  
 Auspicio, Diana, tuo. Prius omnis in armis  
 Spes fuit, et nuda silvas virtute movebant  
 Inconsulti homines, vitaque erat error in omni.  
 Post, alia propiore via, meliusque profecti,  
 Te sociam, Ratio, rebus sumpsere gerendis.  
 Sed cur exiguis tantos in partibus orbes  
 Lustramus? Prima illa canum: non ulla per artes  
 Cura prior, sive indomitos vehementior hostes  
 Nudo Marte premas, seu bellum ex arte ministres.  
 Mille canum patriæ, ductique ab origine mores  
 Cuique suæ. Magna indocilis dat prælia Medus,  
 Magnaque diversos extollit gloria Celtas.  
 Arma negant contra, Martemque odere Geloni,  
 Sed natura sagax: Perses in utroque paratus.  
 Sunt, qui Seras alunt, genus intractabilis iræ.  
 At contra faciles, magnique Lycaones armis,  
 Sed non Hyrcanæ satis est vehementia genti  
 Tanta: suis perierte ultro fera semina sylvis.  
 Lacte novam pubem, facilique tuebore maza:  
 Nec luxus alios, avidæque impendia vitæ

Noscant. Hæc magno redit indulgentia damno:  
Nec mirum: humanos non est magis altera sensus:  
Tollit se ratio, et vitiis adeuntibus abstat.

---

## LIV.

### Phædrus in prologo lib. III, ad Eutichum.

Phædri libellos legere si desideras,  
Vaces oportet, Eutiche, à negotiis,  
Ut liber animus sentiat vim carminis.  
Verum, inquis: tanti non est ingenium tuum,  
Momentum ut horæ pereat officii mei.  
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,  
Quod occupatis auribus non convenit.  
Fortasse dices: aliquæ venient feriæ,  
Quæ me soluto pectore ad studium vocent.  
Legesne, quæso, potius viles nænias,  
Impendas curam quam rei domesticæ,  
Reddas amicis tempora, uxori vaces,  
Animum relaxes, otium des corpori,  
Ut adsuetam fortius præstes vicem?  
Mutandum tibi propositum est et vitæ genus,  
Intrare si musarum limen cogitas.  
Ego, quem Piero mater enixa est jugo,  
In quo Tonanti sancta Mnemosyne Jovi  
Fœcunda novies Artium peperit chorum,  
Quamvis in ipsa penè sim natus schola,  
Curamque habendi penitus corde eraserim,  
Et laude multa vitam in hanc incubuerim,  
Fastidiose tamen in cœtum recipior.  
Quid credis illi accidere, qui magnas opes  
Exaggerare querit omni vigilia,  
Docto labore dulce præponens lucrum?  
Sed jam ,quocumque fuerit, ut dixit Sinon,  
Ad regem quum Dardanis perductus foret,

Librum exarabo tertium *Æsopi* stilo,  
 Honori et meritis dedicans illum tuis.  
 Quem si leges, lætabor; sin autem minus,  
 Habebunt certe, quo se oblectent posteri.  
 Nunc fabularum cur sit inventum genus;  
 Brevi docebo. Servitus obnoxia,  
 Quia, quæ volebat, non audebat dicere,  
 Affectus proprios in fabellas transtulit,  
 Calumniamque fictis elusit jocis.  
*Æsopi* illius semita fecit viam,  
 Et cogitavi plura quam reliquerat,  
 In calamitatem deligens quædam meam.  
 Quod si accusator alias Sejano foret,  
 Si testis alias, judex alias denique,  
 Dignum faterer esse me tantis malis,  
 Nec his dolorem delenirem remediis.  
 Suspicio si quis errabit sua,  
 Et rapiet ad se, quod erit commune omnium,  
 Stulte nudabit animi conscientiam.  
 Huic excusatum me velim nihilominus.  
 Neque enim notare singulos mens est mihi,  
 Verum ipsam vitam et mores hominum ostendere.  
 Rem me professum dicet fors aliquis gravem:  
 Si *Prhyx* *Æsopus*, potuit Anacharsis Scytha,  
 Æternam famam condere ingenio suo:  
 Ego litteratæ qui sum propior Græciæ,  
 Cur somno inertí deseram patriæ decus?  
 Threissa cum gens numeret auctores suos,  
 Linoque Apollo sit parens, Musa Orpheo,  
 Qui saxa cantu movit, et domuit feras,  
 Hebrique tenuit impetus dulci mora.  
 Ergo hinc abesto, Livor, ne frustra gemas:  
 Quoniam mihi solemnis debetur gloria,  
 Induxi te ad legendum: sincerum mihi  
 Candore noto reddas judicium peto.

### Fabula VII ejusdem libri. Canis et lupus.

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar,  
 Cani perpasto, macie confectus lupus,

Forte occurrit: salutantes dein invicem  
 Ut restiterunt. Unde sic, quæso, nites,  
 Aut quo cibo fecisti tantum corporis?  
 Ego, qui sum longe fortior, pereo fame.  
 Canis simpliciter: Eadem est conditio tibi,  
 Præstare domino si par officium potes.  
 Quod? inquit ille. Custos ut sis liminis,  
 A furibus tuearis et noctu domum.  
 Ego vero sum paratus: nunc patior nives,  
 Imbresque, in silvis asperam vitam trahens:  
 Quanto est facilius mihi sub tecto viyere,  
 Et otiosum largo satiare cibo?  
 Veni ergo mecum. Dum procedunt, aspicit  
 Lupus à catena collum detritum canis.  
 Unde hoc, amice? nihil est. Dic, quæso, tamen:  
 Quia videor acer, alligant me interdiu,  
 Luce ut quiescam, et vigilem, nox quam venerit:  
 Crepusculo solitus, qua visum est, vagor.  
 Adfertur ultro panis; de mensa sua  
 Dat ossa dominus, frusta jactat familia,  
 Et, quod fastidit quisque, pulmentarium:  
 Sic sine labore venter impletur meus.  
 Age, si quo abire est animus, est licentia?  
 Non plane est, inquit. Fruere, quæ laudas, Canis:  
 Regnare nolo, liber ut non sim mihi.

### Fabula VIII. Frater et soror.

Præcepto monitus, sæpe te considera.  
 Habet quidam filiam turpissimam,  
 Itidemque insigni et pulchra facie filium.  
 Hi, speculum in cathedra matris ut positum fuit,  
 Pueriliter ludentes forte inspexerant.  
 Hic se formosum jactat, illa irascitur,  
 Nec gloriantis sustinet fratris jocos,  
 Accipiens (quid enim) cuncta in contumeliam.  
 Ergo ad patrem cucurrit, læsura invicem,  
 Magnaque invidia criminatur filium,  
 Vir natus quod rem fœminarum tetigerit,  
 Amplexus utrumque ille, et carpens oscula,

Dolcemque in ambos caritatem partiens,  
 Quotidie, inquit, speculo vos uti volo,  
 Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis,  
 Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

### Persius. Satira V. Ad Cornutum.

Tecum etenim longos memini consumere soles,  
 Et tecum primas epulis decerpere noctes.  
 Unum opus, et requiem pariter disponimus ambo,  
 Atque verecunda laxamus seria mensa.  
 Mille hominum species et rerum discolor usus,  
 Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.  
 Libertate opus est; non hac, qua, ut quisque Velina  
 Publius emeruit; scabiosum tesserat far  
 Possidet. Heu, steriles veri, quibus una Quiritem  
 Vertigo facit. Hic Dama est, non tressis agaso,  
 Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax;  
 Verterit hunc Dominus, momento turbinis exit  
 Marcus Dama. Papæ! Marco spondente, recusas  
 Credere tu nummos? Marco sub judice palles?  
 Marcus dixit, ita est. Assigna, Marce, tabellas.  
 Haec mera libertas: hanc nobis pilea donant.  
 An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam  
 Cui licet, ut voluit? Licet, ut volo, vivere, non sum  
 Liberius Bruto? Mendosè colligis, inquit  
 Sticticus hic, aurem mordaci lotus aceto.  
 Mane piger stertis: surge, inquit avaritia: eja  
 Surge: negas. Instat: surge, inquit. Non quo: surge,  
 Et quid agam? Rogitas! Saperdas advehe ponto,  
 Castoreum, stupras, ebenum, thus, lubrica Coa;  
 Tolle recens primus piper è sitiente camelò;  
 Verte aliquid, jura. Sed Jupiter audiet. Eheu!  
 Baro, regustatum digito terebrare salinum  
 Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.  
 Quid petis? Ut nummi, quos hic quincunce modesto  
 Nutrieras, peragant acidos sudare deunces?  
 Indulge genio; carpamus dulcia; nostrum est,  
 Quod vivis; cinis et manes, et fabula fies.  
 Vive memor lethi; fugit hora: hoc, quod loquor, inde est.

## LVI.

## Seneca. Ex Herculis furentis actu I.

Cho. Turbine magno spes sollicitæ  
 Urbibus errant, trepidique metus.  
 Ille superbos aditus regum;  
 Durasque fores expers somni  
 Colit. Hic nullo fine beatus  
 Componit opes, gazis inhians,  
 Et congesto pauper in auro est.  
 Illum populi favor attonitum,  
 Fluctuque magis mobile vulgus,  
 Aura tumidum tollit inanem.  
 Hic clamosi rabiosa fori  
 Jurgia vendens improbus, iras  
 Et verba locat. Novit paucos  
 Secura quies, qui velocis memores  
 Ævi tempora numquam  
 Reditura tenent. Dum fata sinunt,  
 Vivite læti: properat cursu  
 Vita citato, volucrique die  
 Rota præcipitis vertitur anni.  
 Duræ peragunt pensa sorores,  
 Nec sua retro fila revolvunt.  
 At gens (1) hominum fertur rapidis  
 Obvia fatis, incerta sui.  
 Stigias ultro quærimus undas.  
 Nimium, Alcide, pectore forti  
 Properas mœstos visere manes.  
 Certo veniunt ordine Parcae:  
 Nulli jussso cessare licet,  
 Nulli scriptum proferre diem:  
 Recipit populos urna citatos.

(1) Alii, genus.

## Actus II.

**Megara.** Gelidus per artus vadit exsangues tremor.  
**Quod facinus aures pepulit?** haud eisdem horru,  
**Cum pace erupta bellicus muros fragor**  
**Circumsonaret:** pertuli intrepide omnia,  
**Thalamos tremismo;** capta nunc videor mihi.  
**Gravent catenæ corpus,** et longa fame  
**Mors protrahatur lenta,** non vincet fidem  
**Vis ulla nostram;** moriar, Alcide, tua.

**Lycus.** Animosne mersus inferis conjux facit?  
**Me.** Inferna tetigit, posset ut supera assequi.  
**Ly.** Telluris illum pondus immensæ premit.  
**Me.** Nullo premetur onere, qui cœlum tulit.  
**Ly.** Cogere. **Me.** Cogi qui potest, nescit mori.  
**Ly.** Effare, thalamis quod novis potius parem  
 Regale munus? **Me.** Aut tuam mortem aut meam.  
**Ly.** Morire demens. **Me.** Conjugi occurram meo.  
**Ly.** Sceptroqne nostro potior est famulus tibi?  
**Me.** Quot iste famulus tradidit reges neci?  
**Ly.** Cur ergo regi servit, et patitur jugum?  
**M.** Imperia dura tolle: quid virtus erit?  
**Ly.** Objici feris monstrisque virtutem putas?  
**Me.** Virtutis est domare, quæ cuncti pavent.  
**Ly.** Tenebræ loquentem magna tartareae premunt.  
**Me.** Non est ad astra mollis e terris via.

## Ex Thebaid. actu I.

**Oed.** Ego ipse, victæ spolia qui Sphyngis tuli,  
 Hærebo fati tardus interpres mei,  
 Quid perdis ultra verba? quid pectus ferum  
 Mollire tentas precibus? hoc animo sedet,  
 Effundere hanc cum morte luctantem diu  
 Animam, et tenebras petere. Nam sceleri hæc meo  
 Parum alta nox est. Tartaro condi juvat,  
 Et si quid ultra Tartarum est. Tandem libet,  
 Quod olim oportet. Morte prohiberi haud queo.  
 Ferrum negabis? noxias lapso vias

Cludes? et arctis colla laqueis inseri  
 Prohibebis? herbas, quæ ferunt lethum, auferes?  
 Quid ista tandem cura proficiet tua?  
 Ubique mors est. Optime hoc cavit Deus,  
 Eripere vitam nemo non homini potest.  
 At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

### Ex Thyestæ actu V.

- Th. Fugit omne sidus. Quidquid est, fratri, precor,  
 Gnatisque parcat. Omnis in vile hoc caput  
 Abeat procella. Redde jam gnatos mihi.  
 Atr. Reddam, et tibi illos nullus eripiet dies.  
 Th. Quis hic tumultus viscera exagitat mea?  
 Quid tremuit intus? sentio impatiens onus,  
 Meumque gemitu non meo pectus gemit,  
 Adeste gnati. Genitor infelix vocat;  
 Adeste, visis fugiet hic vobis dolor,  
 Unde obloquuntur? Atr. Expedi amplexus, pater,  
 Venere: gnatos equeid agnoscis tuos?  
 Thy. Agnosco fratrem. Sustines tantum nefas  
 Gestare, tellus? non ad infernam Styga  
 Te nosque mergis? rupta et ingenti via  
 Ad chaos inane regna cum rege abripis?

### Ex Medeæ. Actu I.

- Med. Mihi pejus aliquod, quod precer, sponso malum:  
 Vivat, per urbes erret ignotas egens,  
 Exul, pavens, invisus, incerti laris;  
 Me conjugem optet, limen alienum expetat,  
 Jam notus hospes: quôque non aliud queam  
 Pejus precari, liberos similes patri,  
 Similesque matri. Parta, jam parta ultio est.  
 Peperi. Querelas, verbaque incassum sero.

### Actus II.

- Med. Levis est dolor, qui capere consilium potest,  
 Et clepere sese: magna non latitant mala.

- Fortuna fortis metuit, ignavos premit.**
- Nutrix.** Tunc est probanda, si locum virtus habet.
- Me.** Nunquam potest non esse virtuti locus.
- Nu.** Spes nulla monstrat rebus afflictis viam.
- Me.** Qui nil potest sperare, desperet nihil.
- Nu.** Abiere Colchi, conjugis nulla est fides,
- Nihilque superest opibus è tantis tibi.
- Me.** Medea superest: hic mare et terras vides,
- Ferrumque et ignes, et deos, et fulmina.
- Cho.** Terminus omnis notus, et urbes
- Muros terra posuere novos,
- Nihil, qua fuerat, sede reliquit
- Pervius orbis. Indus gelidum
- Potat Araxem. Albim Persæ,
- Rhenumque bibunt. Venient annis
- Sæcula seris, quibus Oceanus
- Vincula rerum laxet; et ingens
- Pateat tellus, Tiphysque novos
- Detegat orbes, nec sit terris
- Ultima Thule.

### Ex Hipolito. Actus III.

- Phedra.** Alium silere quod voles, primus sile.
- Theseus.** Lethi facultas nulla continget tibi.
- Ph.** Mori volenti deesse numquam mors potest.
- Th.** Quod sit luendum morte delictum, indica.
- Ph.** Quod vivo. **Th.** Lacrymæ nonne te nostræ moyent?
- Ph.** Mors optima est perire, dum lacrymant sui.

### LVIII.

#### Ex Lucani Pharsaliae libro I.

Bella per Emathios plusquam civilia campos,  
Jusque datum sceleri canimus, populumque potentem  
In sua victrici conversum viscera dextra,

Cognatasque acies, et rupto fœdere regni,  
 Certatum totis concussi viribus orbis  
 In commune nefas, infestisque obvia signis  
 Signa, pares aquilas, et pila minantia pilis.  
 Quis furor, ò cives? quæ tanta licentia ferri,  
 Gentibus invisis Latium præbere cruentem?  
 Tu novo ne veteres obscurant acta triumphos,  
 Et victis cedat piratica laurea Gallis,  
 Magne, times: te jam series, ususque laborum  
 Erigit, impatiensque loci Fortuna secundi:  
 Nec quemquam jam ferre potest, Cæsarve priorem,  
 Pompejusve parem: quis justius induit arma,  
 Scire nefas: magno se judice quisque tuerit:  
 Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.  
 Nec coiere pares: alter vergentibus annis  
 In senium, longeque togæ tranquillior usu  
 Deditic jam pace Ducem, famæque petitior  
 Multa dare in vulgus, totus popularibus auris  
 Impelli, plausuque sui gaudere theatri;  
 Neu reparare novas vires, multumque priori  
 Credere fortunæ. Stat magni nominis umbra;  
 Qualis frugifero quercus sublimis in agro  
 Exuvias veteres populi, sacrataque gestans  
 Dona Ducum: nec jam validis radicibus hærens,  
 Pondere fixa suo est, nudosque per aera ramos  
 Effundens, trunco, non frondibus efficit umbram.  
 Sed quamvis primo nutet casura sub Euro,  
 Tot circum silvæ firmo se robore tollant,  
 Sola tamen colitur. Sed non in Cæsare tantum  
 Nomen erat, nec fama Ducis, sed nescia virtus  
 Stare loco, solusque pudor non vincere bello.  
 Acer et indomitus, quo spes, quoque ira vocasset,  
 Ferre manum, et nunquam temerando parcere ferro:  
 Successus urgere suos: instare favori  
 Numinis, impellens quidquid sibi summa petenti  
 Obstaret, gaudensque viam fecisse ruina.  
 Qualiter expressum ventis per nubila fulmen  
 Ætheris impulsu sonitu, mundique fragore  
 Emicuit, rupitque diem, populosque paventeis  
 Terruit, obliqua præstinguens lumina flamma,

In sua templa fuit, nullaque exire vetante  
 Materia, magnamque cadens, magnamque revertens  
 Dat stragem late, sparsosque recolligit igneis.  
 Jam gelidas Cæsar cursu superaverat Alpeis,  
 Ingenteisque animo motus, bellumque futurum  
 Ceperat: ut ventum est parvi Rubiconis ad undam,  
 Ingens visa duci patriæ trepidantis imago,  
 Clara per obscuram vultu mestissima noctem,  
 Turrigerò canos effundens vertice crineis,  
 Cæsarie lacera, nudisque adstare lacertis,  
 Et gemitu permista loqui: quo tenditis ultra?  
 Quo fertis mea signa, viri? si jure venitis,  
 Si cives: huc usque licet. Tum perculit horror  
 Membra ducis, riguere come, gressumque coercens  
 Languor in extrema tenuit vestigia ripa.  
 Mox ait. O magnæ qui moenia prospicis urbis  
 Tarpeja de rupe Tonans, Phrygiique Penates  
 Gentis Iuleæ, et rapti secreta Quirini,  
 Et residens celsa Latialis Jupiter Alba,  
 Vestalesque foci, summique o Numinis instar  
 Roma: fave coeptis: non te Furialibus armis  
 Persequor. En adsum victor; terraque marique  
 Cæsar ubique tuus; liceat modo, nunc quoque miles:  
 Ille erit, ille nocens, qui me tibi fecerit hostem.  
 Inde moras solvit belli, tumidumque per amnem  
 Signa tulit propere, sicut squalentibus arvis  
 Estiferæ Libyes viso leo cominus hoste  
 Subsedit dubius, totam dum colligit iram:  
 Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ,  
 Erexitque jubas, vasto et grave murmur hiatu  
 Infremuit: tum torta levis si lancea Mauri  
 Hæreat, aut latum subeant venabula pectus,  
 Per ferrum tanti securus vulneris exit.

### Ex libro V.

Tunc rector trepidæ fatur ratis: adspice sævum,  
 Quanta paret, pelagus: Zephyrusne intendat, an Eurus,  
 Incertum est: puppim dubius ferit undique pontus:  
 Fisus cuncta sibi cessura pericula Cæsar,

Sperne minas, inquit, pelagi, ventoque furenti  
 Trade sinum. Italiā si cōlō auctōre recusas,  
 Me pete. Sola tibi causa hēc est justa timoris,  
 Vectorem non nosse tuum: quem Numinā nunquam  
 Destituunt, de quo male tunc fortuna meretur,  
 Cum post vota venit. Medias perrumpe procellas.

### Ex libro IX.

Maximus hortator scrutandi voce Deorum  
 Eventus Labienus erat. Sors obtulit, inquit,  
 Et Fortuna viæ tam magni Numinis ora,  
 Consiliumque Dei: tanto duce possumus uti  
 Per Syrteis, bellique datos cognoscere casus.  
 Quære, quid est virtus, et posse exemplar honesti.  
 Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat,  
 Effudit dignas adytis è pectore voces.  
 Quid quæri, Labiene, jubes? an liber in armis  
 Occubuisse velim potius quam regna videre?  
 An sit vita nihil, sed longa? an differat ætas?  
 An noceat vis ulla bono, Fortunaque perdat  
 Opposita virtute minas, laudandaque velle  
 Sit satis, et nunquam successu crescat honestum?  
 Scimus, et hoc nobis non altius inseret Ammon.  
 Hæremus cuncti superis, temploque tacente  
 Nil agimus, nisi sponte Dei: non vocibus ullis  
 Numen eget: dixitque semel nascentibus auctor,  
 Quidquid scire licet: sterileis nec legit arenas,  
 Ut caneret paucis, mersitque hoc pulvere verum:  
 Estque Dei sedes nisi terra et pontus, et aer,  
 Et cœlum et virtus. Superos quid quærimus ultra?  
 Jupiter est quodcumque vides, quocumque moveris.  
 Sortilegis egeant dubii, semperque futuris  
 Casibus ancipites: me non oracula certum,  
 Sed mors certa facit: pavido, fortique cadendum est.  
 Hoc satis est dixisse Jovem. Sic ille profatur,  
 Servataque fide templi discedit ab aris,  
 Non exploratum populis Ammona relinquens,  
 Ipse manu sua pila gerens præcedit anheli  
 Militis ora pedes, monstrat tolerare labores,

Non jubet, et nulla vehitur cervice supinus,  
 Carpentove sedens: somni parcissimus ipse est.  
 Ultimus haustor aquæ, cum tandem fonte reperto  
 Indiga cogatur latices potare juventus,  
 Stat, dum lixa bibat. Si veris magna paratur  
 Fama bonis, et si successu nuda remoto  
 Inspicitur virtus: quidquid laudamus in ulla  
 Majorum, Fortuna fuit. Quis marte secundo,  
 Quis tantum meruit populorum sanguine nomen?  
 Hunc ego per Syrteis, Libyesque extrema triumphum  
 Ducere maluerim, quam ter capitolia curru  
 Scandere Pompeii, quam frangere colla Jugurthæ.  
 Ecce parens verus patriæ, dignissimus aris,  
 Roma, tuis: per quem nunquam jurare pudebit,  
 Et quem, si steteris umquam cervice soluta,  
 Hunc olim factura Deum. Jam spissior igni,  
 Et plaga, quam nullam superi mortalibus ultra  
 A medio fecere die, calcatur et unda  
 Rarior, inventus mediis fons unus arenis  
 Largus aquæ; sed quem serpentum turba tenebat  
 Vix capiente loco. Stabant in margine siccæ  
 Aspides; in mediis sitiebant dipsades undis.

---

## LX.

### Ex Valerii Flacci Argonautico, liber I.

Prima Deûm magnis canimus freta pervia natis,  
 Fatidicamque ratem, Scythicique Phasidis oras  
 Ausa sequi, mediosque inter juga concita cursus  
 Rumpere, flammifero tandem consedit Olympo.  
 Phœbe, mone, si Cymææ mihi conscientia vatis  
 Stat casta cortina domo, si laurea digna  
 Fronte viret. Tuque, ò, pelagi cui major aperti  
 Fama, Caledonius postquam tua carbasa vexit  
 Oceanus, Phrygios prius indignatus Iulos,

Eripe me populis, et habenti nubila terræ,  
 Sancte pater; veterumque fave veneranda canenti  
 Facta virum: Versam proles tua pandit Idumen,  
 Namque potest, Solymo nigrantem pulvere fratrem  
 Spargentemque faces, et in omni turre furentem.  
 Haemoniam primis Pelias frenabat ab annis,  
 Ergo anteire metus, juvenemque extinguere pergit  
 Æsonium; letique vias ac tempora versat.  
 Tu, cui jam curæque vigent, animique viriles,  
 I, decus: et pecoris Nephelæi vellera Grajo  
 Redde tholo; ac tantis temet dignare periclis.

### Ex libro III.

Sic Furiis accensa gerens Tirynthius ora  
 Fertur; et intento decurrit montibus arcu.  
 Heu miseræ, quibus ille, feræ, quibus incidit usquam  
 Immeritis per lustra viris! volat ordine nullo  
 Cuncta petens; nunc ad ripas, dejectaque saxis  
 Flumina; nunc notas nemorum procurrit ab umbras.  
 Rursus Hylan, et rursus Hylan per longa reclamat  
 Avia: responsant silvæ, et vaga certat imago.  
 At sociis immota fides, austrisque secundis  
 Certa moræ: nec parvus Hylas: quamquam omnibus æque  
 Grata rudimenta Herculeo sub nomine pendent.  
 Illum omnes lacrymis, moestisque reposcere votis;  
 Incertique metu, nunc longas litore voces  
 Spargere; nunc seris ostendere noctibus ignes.  
 Ipse vel excelsi cum densa silentia montis,  
 Strata vel oblatis ductor videt æquora ventis,  
 Stat lacrymans; magnoque viri cunctatur amore.

### Silius Italicus. Ex Punicorum bellorum lib. I.

Ordior arma, quibus cœlo se gloria tollit  
 Æneadum: patiturque ferox Oenotria jura  
 Carthago. Da, musa, decus memorare laborum  
 Antiquæ Hesperiæ, quantosque ad bella crearit,  
 Et quot Roma viros, sacri cum perfida pacti  
 Gens Cadmæa super regno certamina movit:

Quæsitumque diu, qua tandem poneret arce  
 Terrarum fortuna caput. Ter Marte sinistro  
 Juratumque Jovi foedus, conventaque patrum  
 Sidonii fregere duces: atque impius ensis  
 Ter placidam suasit temerando rumpere pacem.  
 Sed medio finem bello, excidiumque vicissim  
 Molitae gentes: propiusque fuere periclo  
 Queis superare datum.

Primus inire manu, postremus ponere Martem,  
 Cum rapidum effusis ageret sublimis habenis  
 Quadrupedem, non ense virum, non eminus hasta  
 Sistere erat. Volitabat ovans, aciesque per ambas  
 Jam Tagus auratis agnoscebatur in armis,  
 Quem postquam diro suspensum robore vidit  
 Deformem, lateri famulus clam corripitensem  
 Dilectum domino, pernix irrumpit in aulam,  
 Atque immite ferit geminato vulnere pectus.  
 At Poeni succensi ira, turbataque luctu,  
 Et saevis gens læta ruunt, tormentaque portant.  
 Non ignes, candensque calybs, non verbera passim  
 Ictibus innumeris lacerum scindentia corpus,  
 Carnificesve manus, penitusve infusa medullis  
 Pestis, et in medio lucentes vulnere flammæ  
 Cessavere: ferum visu, dictuque per artem  
 Sævitiae, extenti, quantum tormenta jubebant,  
 Creverunt artus, atque omni sanguine rupto  
 Ossa liquefactis fumarunt fervida membris.  
 Mens intacta manet, superat, ridetque dolores  
 Spectanti similis, fessosque labore ministros  
 Increpitat, dominique crucem clamore reposcit.  
 Hæc inter spretæ miseranda piacula poenæ,  
 Erepto trepidus ductore exercitus, una  
 Annibalem voce, atque alacri certamine poscit.

## P. Papinius Statius. Ex Thebaidis lib. I.



Fraternas acies, alternaque regna profanis  
 Decertata odiis, sonentesque evolvere Thebas,  
 Pierius menti calor incidit. Unde jubetis  
 Ire Deæ? gentisne canam primordia diræ?

\*

Sydonios raptus? et inexorabile pactum  
 Legis Agenoreæ? scrutantemque æquora Cadmum?  
 Atque ideo jam nunc gemitus, et prospera Cadmi  
 Præterise sinam. Limes mihi carminis esto  
 Oedipodæ confusa domus.

### Ex lib. XI.

It præceps sonipes strictæ contemptor habenæ,  
 Arvaque sanguineo scribit rutilantia gyro,  
 Exultat, fratriis credens hunc esse cruentem:  
 Credit et ipse metu; totis jam exul habenis  
 Indulget, cæcusque avidos illidit in ægrum  
 Cornipedem cursus, miscentur frena manusque,  
 Telaque, et ad terram turbatis gressibus ambo  
 Præcipitant. Ut nocte rates, quas nubilus auster  
 Implicit, frangunt tonsas, mutantque rudentes,  
 Luctatæque diu tenebris, hyemique, sibique,  
 Sicut erant, imo pariter sedere profundo.  
 Hæc pugnæ facies: coeunt sine more, sine arte,  
 Tantum animis, iraque, atque ignescientia cernunt  
 Per galeas odia, et vultus rimantur acerbo  
 Lumine. Nil adeo mediae telluris, et enses  
 Impliciti, nexæque manus, alternaque sævi  
 Murmura, ceu lituos rapiunt, aut signa tubarum.  
 Fratriis uterque furens cupit affectatque cruentem,  
 Et nescit manare suum. Tandem irruit exul,  
 Hortatusque manum, cui fortior ira, nefasque  
 Justius, alte ensem germani in corpore pressit,  
 Qua male jam plumis imus tegit inguina Thorax.  
 Quo retrahis, germane, gradus? O languida somno,  
 Et regnis effœta quies! longaque sub umbra  
 Imperia: exilio, rebusque exercita egenis  
 Membra vides. Disce arma pati, nec fidere lætis.  
 Sic pugnant miseri. Restabat lassa nefando  
 Vita duci, summusque crux, poterantque parumper  
 Stare gradus: sed sponte ruit, fraudemque supremam  
 In media jam morte parat. Clamore Cithæron  
 Erigitur, fraterque ratus viciisse, levavit  
 Ad cœlum palmas. Bene habet, non irrita voyi,

Cerno graves oculos, atque ora natantia leto.  
 Huc aliquis propere sceptrum, atque insigne comarum  
 Dum videt: haec dicens gressus admovit, et arma,  
 Ceu templis decus, et patriæ latus ovanti,  
 Arma etiam spoliare cupit. Nondum ille peractis  
 Manibus, ultricemque animam servabat in iras,  
 Utque superstans, prounumque in pectore sensit,  
 Erigit occulte ferrum, vitæque labantis  
 Relliquias tenues odio supplevit, et ensem  
 Jam laetus frater fratris sub corde reliquit.  
 Ille autem. Vivisne et adhuc manet ira superstes?  
 Perfide, nec sedes unquam meriture quietas:  
 I mecum ad manes: illic quoque pacta reposcam.

## XLII.

### M. Valerius Martialis. Epigr. XIV lib. I.

Casta suo gladium cum traderet Arria Pæto,  
 Quem de visceribus traxerat ipsa suis;  
 Si qua fides; vulnus, quod feci, non dolet, inquit;  
 Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

## Epig. XX.

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes,  
 Expuit una duos tussis, et una duos,  
 Jam secura potes totis tussire diebus,  
 Nil istic quod agat, tertia tussis habet.

## Epig. XXIX.

Fama refert nostros te, Fidentine, libellos  
 Non aliter populo, quam recitare tuos.  
 Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam:  
 Si dici tua vis, haec eme; ne mea sint.

**Epig. XXX.**

Chirurgus fuerat, nunc est vespillo Diaulus:  
Coepit, quod poterat, clinicus esse modo.

**Epig. XXXV.**

Quem recitas, meus est, o Fidentine, libellus:  
Sed male cum recitas, incipit esse tuus.

**Epig. XLIV.**

Nuper erat medicus, nunc est vespillo Diaulus;  
Quod vespillo facit, fecerat et medicus.

**Epig. X lib. VI.**

Pauca Jovem nuper cum millia forte rogarem,  
Ille dabit, dixit, qui mihi templa dedit.  
Templa quidem dedit ille Jovi, sed millia nobis  
Nulla dedit: pudeat pauca rogasse Jovem:  
At quam non tetricus, quam nulla nubilus ira,  
Quam placido nostras legerat ore preces.  
Talis supplicibus tribuit diademata Dacis,  
Et capitolinas itque reditqne vias.  
Dic, precor, o nostri, dic conscientia virgo Tonantis:  
Si negat hoc vultu; quo solet ergo dare?  
Sic ego; sic breviter posita mihi Gorgone Pallas:  
Quæ nondum data sunt, stulte, negata putas?

**Epig. XLVII lib. X.**

Vitam quæ faciunt beatiorem,  
Jucundissime Martialis, hæc sunt:  
Res non parta labore, sed relicta,  
Non ingratus ager, focus perennis,  
Lis nunquam, toga rara, mens quieta,  
Vires ingenuæ, salubre corpus,  
Prudens simplicitas, pares amici,

Convictus facilis, sine arte mensa,  
 Nox non ebria, sed soluta curis,  
 Non tristis torus, attamen pudicus,  
 Somnus qui faciat breves tenebras:  
 Quod sis, esse velis, nihilque malis,  
 Summum nec metuas diem, nec optes.

### **Ex libro, cui Xenia nomen, XIII.**

Claudere, quæ cœnas lactuca solebat avorum,  
 Dic mihi, cur nostras inchoat illa dapes?

### **Ex Apophoretis de Pumilione.**

Si solum species hominis caput; Hectora credas;  
 Si stantem videoas, Astyanacta putes.

### **Ex Juvenalis sat. I.**

Semper ego auditor tantum? nūnquamne reponam?  
 Vexatus toties rauci Theseide Codri?  
 Impune ergo mihi recitaverit ille togatas,  
 Hic elegos? impune diem consumpserit ingens  
 Telephus, aut summi plena jam margine libri  
 Scriptus, et in tergo, necdum finitus, Orestes?  
 Difficile est satyram non scribere. Nam quis iniquæ  
 Tam patiens urbis, tam ferreus, ut teneat se?  
 Aude aliquid brevibus Gyaris, aut carcere dignum,  
 Si vis esse aliquis. Probitas laudatur et alget.  
 Criminibus debent hortos, præatoria, mensas,  
 Argentum vetus, et stantem extra pocula caprum.  
 Si natura negat, facit indignatio versum,  
 Qualecumque potest: qualevis vel ego, vel Cluvienus.

### **Ex sat. VII.**

Et spes et ratio studiorum in Cæsare tantum:  
 Hoc agite, o juvenes, circumspicit et stimulat vos,  
 Materiamque sibi Ducis indulgentia quærit.  
 Sed yatem egregium, cui non sit publica vena,

Qui nihil expositum soleat deducere, nec qui  
 Communi feriat carmen triviale moneta:  
 Hunc, qualem nequeo monstrare, et sentio tantum,  
 Anxietate carens animus facit, omnis acerbi  
 Impatiens, cupidus silyarum, aptusque bibendis  
 Fontibus Aonidum: neque enim cantare sub antro  
 Pierio, thyrsumve potest contingere sana  
 Paupertas, atque aeris inops, quo nocte, dieque  
 Corpus eget. Satur est, cum dicit Horatius, ohe.  
 Nam si Virgilio puer, et tolerabile desit  
 Hospitium, canerent omnes a crinibus hydri:  
 Contentus fama jaceat Lucanus in hortis  
 Marmoreis; at Sarrano, tenuique Salejo  
 Gloria quantilibet, quid erit, si gloria tantum est?  
 Curritur ad vocem jucundam, et carmen amicæ  
 Thebaidos, lætam fecit cum Statius urbem,  
 Promisitque diem: tanta dulcedine captos  
 Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi  
 Auditur: sed cum fregit subsellia versu,  
 Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agavem.  
 Ille et militiae multis largitur honorem,  
 Semestri vatum digitos circumligat auro.  
 Quod non dant Proceres, dabit histrio. Tu Camerinos  
 Et Bareas, tu nobilium magna atria curas,  
 Praefectos Pelopeia facit, Philomela tribunos.  
 Haud tamen invideas vati, quem pulpita pascunt.

### Ex sat. VIII.

Stemmatu quid faciunt, quid prodest, Pontice, longo  
 Sanguine censerit, pictosque ostendere vultus  
 Majorum, et stanteis in curribus Æmilianos,  
 Et Curios jam dimidios, nasumque minorem  
 Corvini, et Galbam auriculis, nasoque carentem?  
 Tota licet veteres exornent undique ceræ  
 Atria; nobilitas sola est, atque unica virtus.  
 De quocumque voles, proayum tibi sumito libre:  
 Quod si præcipitem rapit ambitus, atque libido,  
 Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te  
 Delectant hebetes lasso lictore secures:

Incipit ipsorum contra te stare parentum  
 Nobilitas, claramque facem præferre pudendis.  
 Omne animi vitium tanto conspectius in se  
 Crimen habet, quanto major, qui peccat, habetur.

### Ex sat. X.

Ad generum Cereris sine cæde, et vulnere pauci  
 Descendent reges, et sicca morte tyranni.  
 Eloquium, ac famam Demosthenis, aut Ciceronis  
 Incipit optare, et totis quinquatribus optat,  
 Quisquis adhuc uno partam colit asse Minervam,  
 Quem sequitur custos angustæ vernula capsæ.  
 Eloquio sed uterque perit orator: utrumque  
 Largus, et exundans letho dedit ingenii fons.  
 Ingenio manus est, et cervix cæsa, nec unquam  
 Sanguine caussidici maduerunt rostra pusilli.  
 O fortunatam natam me consule Romam!  
 Antoni gladios potuit contemnere, si sic  
 Omnia dixisset; ridenda poemata malo,  
 Quam te conspicuæ, divina Philippica, famæ,  
 Volveris à prima quæ proxima. Sævus et illum  
 Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ  
 Torrentem, et pleni moderantem frena theatri.  
 Orandum est, ut sit mens sana in corpore sano.  
 Fortem posce animum, et mortis terrore carentem.  
 Nullum numen habes, si sit prudentia: sed te  
 Nos facimus, fortuna, Deam, cœloque locamus.

### Ex Sulpiciae Sat.

Musa, quibus numeris heroas et arma frequentas,  
 Fabellam permitte mihi detexere paucis:  
 Nam tibi secessi, tecum penetrale retractans,  
 Primaque romanæ docui contendere grajis.  
 Dic mihi, Calliope, quidnam pater ille Deorum  
 Cogitat? an terras et patria sæcula mutat?  
 Quasque dedit quondam, morientibus eripit artes?  
 Nunc igitur qui res romanæ imperat inter  
 Non trabe, sed tergo prolapsus, et ingluvie albus,

Studia, et sapiens hominum nomenque genusque,  
 Omnia abire foras, atque urbe excedere jussit.  
 Quid facimus? Grajos hominumque relinquimus urbes,  
 Ut romana foret magis his instructa magistris:  
 Nunc Capitolino veluti turbante Camillo,  
 Ensibus et trutina Galli fugere relicta,  
 Sic nostri palare senes dicuntur, et ipsi  
 Ut ferae suos onus extirpare libellos.  
 Vive, vale. Manet hunc pulchrum sua fama dolorem,  
 Musarum spondet chorus, et Romanus Apollo.

**LXIV.****M. Aur. Olympius Nemesianus. Ex Cynegetico.**

Venandi cano mille vias: hilaresque labores,  
 Discursusque citos, securi prælia ruris,  
 Pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab oestro  
 Astuat, ingentes Helicon jubet ire per agros:  
 Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno  
 Ingerit, et late campos metatur apertos:  
 Imponitque jugum vali, retinetque corymbis  
 Implicitum, ducitque per avia, qua sola nunquam  
 Trita rotis. Juvat aurato procedere curru,  
 Et parere Deo: virideis en ire per herbas  
 Imperat: intacto premimus vestigia musco.  
 His ita dispositis, hyemis sub tempus aquosæ  
 Incipe veloceis catulos immittere pratis,  
 Incipe cornipedes latos agitare per agros:  
 Venemur, dum mane novum, dum mollia prata  
 Nocturnis calcata feris vestigia servant.

**Ex T. Calpurnii Siculi Eglog. I.**

Ornitus. Vos ò præcipue nemorum gaudete coloni,  
 Vos populi gaudete mei. Licet omne vagetur

Securo custode pecus, nocturnaque pastor  
 Claudere fraxinea nolit præsepio cratæ:  
 Non tamen insidias prædator ovilibus ulla,  
 Afferet, aut laxis abiget juventa capistris.  
 Aurea secura cum pace renascitur ætas,  
 Et reddit ad terras tandem squallore situque  
 Alma Themis posito, juvenemque beata sequuntur  
 Sæcula, maternis caussam qui lusit in ulnis.  
 Dum populos Deus ipse reget, dabit impia vincas  
 Post tergum Bellona manus, spoliataque telis  
 In sua vesanos torquebit viscera morsus:  
 Et modo quæ toto civilia distulit orbe,  
 Secum bella geret. Nullos jam Roma Philippos  
 Deflebit, nullos ducet captiva triumphos.

### Ex eglog. VIII, sive I Nemesiani.

**Timetas.** Dum fiscella tibi fluviali, Tityre, junco  
 Texitur, et raucis resonant tua rura cicadis:  
**Incipe,** si quod habes gracili sub arundine carmen  
 Compositum. Nam te calamos inflare labello  
 Pan docuit, versuque bonus tibi favit Apollo.  
 Hic cantare libet: virides nam suggerit herbas  
 Mollis ager, lateque tacet nemus omne; quieti,  
 Aspice, ut, ecce procul decerpant grama, tauri.  
 Omniparens æther, et rerum caussa liquores,  
 Corporis et genitrix tellus, vitalis et aer,  
 Accipite hos calamos, atque hæc nostro Melibœo  
 Mittite, si sentire datur post fata quietis.  
 Nam si sublimes animæ cœlestia templa,  
 Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur;  
 Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno  
 Pectore fovisti, quos tu Melibœe, probasti.


### Flavius Avianus, fab. XXXI. Mus et Bos.

Ingentem fertur mus quondam parvus oberrans  
 Ausus ab exiguo lædere dente bovem.  
 Verum ubi mordaci conficit vulnera rostro,  
 Tutus in anfractus conditur inde suos.

\*

Ille licet vasta torvum cervice minetur,  
 Non tamen iratus, quem petat, ille videt.  
 Tunc indignantem justo sermone fatigans,  
 Distulit hostiles calliditate minas:  
 Non quia magna tibi tribuerunt membra parentes,  
 Viribus effectum constituere tuis.  
 Disce tamen brevibus quæ sit fiducia monstris,  
 Et faciat quidquid parvula turba cupit.

### Ex Claudiani in Rufinum lib. I.



Sæpe mihi dubiam traxit sententia mentem,  
 Curarent Superi terras, an nullus inesset  
 Rector, et incerto fluenter mortalia casu.  
 Nam cum dispositi quæsissem foedera mundi,  
 Præscriptosque maris fines, annique meatus,  
 Et lucis, noctisque vices; tunc omnia rebar  
 Consilio firmata Dei, qui lege moveri  
 Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,  
 Qui variam Phœben alieno jusserit igne  
 Compleri, Solemque suo: porrexerit undis  
 Littora: tellurem medio libraverit axe.  
 Sed cum res hominum tanta caligine volvi  
 Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,  
 Vexarique pios: rursus labefacta cadebat  
 Relligio, caussæque viam non sponte sequebar  
 Alterius, vacuo quæ currere semina motu  
 Affirmat, magnumque novas per inane figuras  
 Fortuna, non arte regi: quæ Numiua sensu  
 Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.  
 Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum;  
 Absolvitque Deos. Jam non ad culmina rerum  
 Injustos crevisse queror. Tolluntur in altum,  
 Ut lapsu graviore ruant. Vos pandite yati  
 Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.  
 Invidiae quondam stimulis incanduit atrox  
 Alecto, placidas latè cum cerneret urbes.  
 Protinus infernas ad limina tetra sorores  
 Consilium deforme vocat. Glomerantur in unum  
 Innumeræ pestes Erebi, quascumque sinistro

Nox genuit fœtu, nutrix Discordia belli,  
 Imperiosa fames, letho vicina senectus:  
 Siccine tranquillo produci sæcula cursu,  
 Sic fortunatas patiemur vivere gentes?  
 Quæ nova corrumpit nostros clementia mores?  
 Quo rabies innata perit? quid inania prosunt  
 Verbera? Quid facibus nequidquam cingimur etris?

### Ex Rutilii Numatiani Itinerario.

Exaudi Regina tui pulcherrima mundi,  
 Inter sidereas Roma recepta polos.  
 Te canimus, semperque, sinent dum fata, canemus.  
 Sospes nemo potest immemor esse tui.  
 Obruerint citius scelerata obliavia solem,  
 Quam tuus ex nostro corde recedat honos.  
 Fecisti patriam diversis gentibus unam,  
 Profuit injustis te dominante capi.  
 Dumque affers victis proprii consortia juris,  
 Urbem fecisti, quod prius orbis erat.  
 Auctorem generis Venerem, Martemque fatemur,  
 Æneadum matrem, Romulidumque patrem.  
 Mitigat armatas victrix clementia vires:  
 Hinc tibi certandi bona, parcendique voluptas;  
 Quos timuit, superat, quos superavit, amat.  
 Inventrix oleæ colitur, vinique repertor,  
 Et qui primus humo pressit aratra puer.  
 Omnia perpetuos quæ servant sidera motus,  
 Nullum viderunt pulchrius imperium.  
 Percensere labor densis decora alta trophyis,  
 Ut si quis stellas pernumerare velit.

### Ex Martianî Capellæ lib. V. De Rethorica.

Interea sonuere tubæ, raucusque per æthram  
 Cantus, et ignoto coelum clangore remugit.  
 Turbati expavere Dei, vulgusque minorum  
 Cœlicolûm trepidat, causarum et nescia corda  
 Hærent, et veteris renovantur crimina Phœgræ.  
 Tunc amnes, Faunique, Pales, Ephialta, Napeæ,

Respectant proceres, nulloque assurgere motu  
 Cernunt attoniti, vicibusque alterna profantes  
 Mirantur placidam per pectora sacra quietem.  
 Tunc primum posita Silvanus forte cupresso  
 Percitus, ac trepidam dextram tendebat inermem,  
 Bellaque composcens, arcus, atque Herculis arma,  
 Portumni trifidam suspirans flagitat hastam,  
 Gradivi frameam non ausus poscere, falcem  
 Saturni bello suetus disquirit agresti,  
 Diffidensque sui respectat tela Tonantis.

## LXVI.

**Ex Commodiani instructione XIV adversus  
 Paganos. Silvanus.**

Silvanus unde Deus iterum apparuit esse,  
 Unde forte placet, eo quod bene fistula cantat,  
 Margitur quoniam lignum, nam forte non esset.  
 Genale emisti, dominum cum empseris illi.  
 Spice deficit lignum, quid illi debetur?  
 Non te pudet, stulte, tales adorare tabellas?  
 Num quære Deum, qui post mortem vivere diat (duat).  
 Secede ab istis qui sunt biothanati facti.

**Ex Prudentii Psychomachia. Patientiae et  
 Irae congressus.**

Ecce modesta gravi stabat Patientia vultu,  
 Per medias immota acies, variosque tumultus,  
 Vulneraque, et rigidis vitalia pervia pilis  
 Spectabat desixa oculos, et lenta manebat.

Hanc procul ira tumens spumanti fervida rictu  
 Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,  
 Ut belli exsortem, teloque et voce lacescit,  
 Impatiensque moræ conto petit, increpat ore,

Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.  
 En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,  
 Excipe mortiferum seculo pectore ferrum;  
 Nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem.  
 Sic ait, et stridens sequitur convicia pinus  
 Per teneros crispata notos, et certa sub ipsum  
 Defertur stomachum, rectoque illiditur ictu,  
 Sed resilit duro loricae excussa repulsu.  
 Provida nam virtus conserto adamante trilicem  
 Induerat thoraca humeros, squamosaque ferri  
 Texta per intortos commiserat undique nervos.  
 Inde quieta manet Patientia fortis ad omnes  
 Telorum nimbos, et non penetrabile durans.  
 Ira, ubi truncati mucronis fragmina vidi,  
 Missile de multis, quæ frusta sparserat, unum  
 Pulvere de campi perversos sumit in usus,  
 Rasile figit humi lignum, ac se cuspidè versa  
 Perfodit, et calido pulmonem vulnere transit.  
 Quam super assistens Patientia; vicimus, inquit.  
 Virtus nam vidua est, quam non Patientia firmat.

### Ex Cathemerino. Hymnus ante somnum.

Ades, pater supreme,  
 Quem nemo vidi unquam;  
 Patrisque Sermo Christe,  
 Et spiritus benigne.  
 O Trinitatis hujus  
 Vis una, lumen unum,  
 Deus ex Deo perennis,  
 Deus ex utroque missus.  
 Fluxit labor diei,  
 Redit quietis hora;  
 Blandus sopor vicissim  
 Fessos relaxat artus.  
 Mens aestuans procellis  
 Curisque sauciata,  
 Totis bibit medullis  
 Obliviale poculum.  
 Serpit per omne corpus

Lethæa vis, nec ullum  
Miseris doloris ægri  
Patitur manere sensum.

Lex hæc data est caducis,  
Deo jubente, membris,  
Ut temperet laborem  
Medicabilis voluptas.

## Ex Apotheosi. De resurrectione carnis humanæ.

Nosco meum in Christo corpus consurgere, quid me  
Desperare jubes? veniam, quibus ille revenit  
Calcata de morte viis. Quod credimus, hoc est:  
Et totus veniam. Nec enim minor, aut alius, quam  
Nunc sum, restituar. Vultus, vigor et color idem,  
Qui modo vivit, erit: nec me vel dente vel ungue  
Fraudatum revomet patefacti fossa sepulchri.  
Qui jubet ut redeam, non reddet debile quidquam.  
Nam si debilitas redit, instauratio non est.  
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,  
Quod truncavit edax senium populante veterno,  
Omne revertenti reparata in membra redibit.  
Pellite corde metum, mea membra, et credite vosmet  
Cum Christo redditura Deo: nam vos gerit ille,  
Et secum revocat: morbos ridete minaces;  
Inflictos casus contemnite, et atra sepulchra  
Despuite: exsurgens quo Christus provocat, ite.

## Ausonii Mosella. Edyll. X.

Transieram celerem nebuloso lumine Navam,  
Addita miratus veteri nova moenia vico:  
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas:  
Inflæque jacent inopes super arva catervæ.  
Salve amnis laudate agris, laudate colonis,  
Dignata imperio debent cui moenia Belgæ:  
Amnis odorifero juga vitea consite Baccho,  
Consite gramineas amnis viridissime ripas:  
Naviger ut pelagus: devexas pronus in undas,  
Ut fluvius; vitroque lacus imitate profundo;

Et rivos trepido potes æquiparare meatu,  
 Et liquido gelidos fontes præcellere potu,  
 Omnia solus habes, quæ fons, quæ rivus, et amnis,  
 Et lacus, et bivio refluus manamine pontus.  
**Tu** placidis prolapsus aquis, nec murmura venti  
 Ulla, nec occulti pateris luctamina saxi.  
 Non superante vado rapidos superare meatus  
 Cogeris, extantes medio non æquore terras  
 Interceptus habes; justi ne demat honorem  
 Nominis, exclusum si dividat insula flumen.  
**Tu** duplices sortite vias, et quum amne secundo  
 Defluis, ut celeres feriant vada concita remi;  
 Et quum per ripas nusquam cessante remulco  
 Intendant collo malorum vincula nautæ.  
 Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus,  
 Legitimosque putas prope segnus ire meatus?  
**Tu** neque limigenis ripam prætexeris ulvis,  
 Nec piger immundo perfundis littora cœno,  
 Sicca sed in prima aspergis vestigia lympha.  
 I nunc, et Phrygiis sola lævia consere crustis,  
 Tendens marmoreum laqueata per atria campum.  
 Ast ego despectis, quæ census opesque dederunt,  
 Naturæ mirabor opus: non cura nepotum,  
 Lætaque jacturis ubi luxuriatur egestas.  
 Hic solidæ sternunt humentia littora arenæ,  
 Nec retinent memores vestigia pressa figuræ.  
 Spectaris vitro per lævia terga profundo,  
 Secreti nihil amnis habens: utque almus aperto  
 Panditur intuitu liquidis obtutibus aer,  
 Nec placidi prohibent oculos per inania venti:  
 Sic demersa procul durante per intima visu  
 Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti:  
 Quum vada lene meant, liquidarum et lapsus aquarum  
 Prodit cœrulea dispersas luce figuræ:  
 Quod sulcata levi crispatur arena meatu:  
 Inclinata tremunt viridi quod grama fundo.  
 Hic ego et agrestes Satyros, et glauca tuentes  
 Naidas, extremis credam concurrere ripis,  
 Capripedes agitat cum læta protervia Panas,  
 Insultantque vadis, trepidasque sub omne sorores

Terrent, indocili pulsantes verbere fluctum.  
 Sæpe etiam mediis furata è collibus uvas  
 Inter Oreias Panope fluvialis amicas,  
 Fugit lascivos paganica numina Faunos.

**Ex Probæ Falconiæ Centone.**  
**Abel à fratre occiditur.**


Tum gemini fratres adolescent dum altaria tædis,  
 Alter et alterius prælato invidit honori,  
 Horresco referens, consanguinitate propinquum  
 Excipit incautum, patriasque obtruncat ad aras  
 Sanguine fœdantem, quos ipse sacraverat ignes.

**Ex D. Prosperi de Providentia opusculo.**

Nam quod ubique agitur, quod gestum est, quodque gerendum est,  
 Ante oculos domini punto subsistit in uno,  
 Una dies cui semper adest, cras, atque heri nostrum.  
 Sed quamquam examen Deus omnia servet in illud,  
 Quo, quæ nunc occulta latent, reserata patebunt:  
 Multa tamen mundum per sæcula cuncta regentis  
 Justitiae documenta dedit, dum maxima bellis  
 Regna quatit, dum sæpe urbes, populosque potentes  
 Exhaurit morbis, cremat ignibus, obruit undis,  
 Dumque inopes ditat, dejectos elevat, auctos  
 Imminuit, solvit vincitos, subigitque superbos.

**Ex Sidonii Apollinaris ad libellum Propemptico.**

Egressus foribus meis, libelle,  
 Hanc servare viam, precor, memento,  
 Quæ nostros bene dicit ad sodales,  
 Quorum nomina sedulus notavi.  
 Antiquus tibi nec teratur agger,  
 Cujus per spatium satis vetustis  
 Nomen Cæsareum viret columnis.  
 Sed sensim gradere, ut moras habendo



Affectum celerem noves amicis.  
 Ac primum Domiti larem Severi  
 Intrabis, trepidantibus Camoenis;  
 Tam Censorius haud fuit vel ille,  
 Quem risisse semel ferunt in ævo.  
 Sed gaudere potest rigore docto;  
 Hic si te probat, omnibus placebis.

## Ex Venantii Honorii Fortunati lib. II.

Vexilla regis prodeunt,  
 Fulget crucis mysterium,  
 Quo carne, carnis conditor  
 Suspensus est patibulo.  
 Impleta sunt, quæ concinit  
 David fideli carmine,  
 Dicendo nationibus,  
 Regnavit à ligno Deus.  
 Arbor decora et fulgida,  
 Ornata regis purpura,  
 Electa, digno stipite  
 Tam sancta membra tangere.

## Columnæ ruina in idolio evertendo aversa.

Idola dum cuperet Martinus sternere, fulta  
 Conterit hæc cœlis magna columna ruens.  
 Ad justi auxilium dignando militat æther,  
 Quanta fides, cujus currit arma polus?

## LXVIII.

### Cicero in lib. I, de inventione rhetorica.

I. Sæpe et multum hoc mecum cogitavi, bonine an mali  
 plus attulerit hominibus et civitatibus copia dicendi, ac sumnum

eloquentiae studium. Nam cum et nostrae reipublicae detrimenta considero, et maximarum civitatum veteres animo calamitates colligo, non minimam video per disertissimos homines invectam esse partem incommodorum. Cum autem res a nostra memoria, propter vetustatem, remotas ex literarum monumentis repetere instituo: multas urbes constitutas, plurima bella restincta, firmissimas societas, sanctissimas amicitias intelligo tum animi ratione, tum facilius eloquentia comparatas. Ac me quidem diu cogitantem, ratio ipsa in hac potissimum sententiam dicit, ut existimem, sapientiam sine eloquentia parum prodesse civitatibus, eloquentiam verò sine sapientia nimium obesse plerumque, prodesse nunquam.

II. Ac mihi quidem videtur hoc nec tacita, nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines à consuetudine subito converteret, et ad diversas vitæ rationes traduceret. Age. vero, urbibus constitutis, ut fidem colere, et justitiam retinere discerent, et aliis parere sua voluntate consuescerent, ac non modo labores excipiendo communis commodi causa, sed etiam vitam amittendam existimarent: qui tandem fieri potuit, nisi homines ea, quæ ratione invenissent, eloquentia persuadere potuissent?

### Ex libro III.



I. Crotoniatæ quondam, cum florerent omnibus copiis, et in Italia cum in primis beati numerarentur, templum Junonis, quod religiosissime colebant, egregiis picturis locupletare voluerunt. Itaque Heracleotem Zeuxim, qui tum longe cæteris excellere pictoribus existimabatur, magno pretio conductum adhibuerunt. Is et cæteras complures tabulas pinxit, quarum nonnulla pars usque ad nostram memoriam propter fani religionem remansit: et, ut excellentem muliebris formæ puleritudinem muta in sese imago contineret, Helenæ se pingere simulacrum velle dixit. Quod Crotoniatæ, qui eum muliebri in corpore pingendo plurimum aliis præstare sæpe accepissent, libenter audierunt. Putaverunt enim eum, si, quo in genere plurimum posset, in eo magnopere elaborasset, egregium sibi opus illo in fano relæcturum.

Neque tum eos illa opinio fefellit. Nam Zeuxis illico quæsivit ab eis, quasnam virginis formosas haberent. Illi autem statim hominem duxerunt in palæstram, atque ei pueros ostenderunt multis, magna præditos dignitate. Etenim quodam tempore Cro-

toniatæ multum omnibus corporum viribus et dignitatibus antesteterunt, atque honestissimas ex gymnico certamine victorias domum cum maxima laude retulerunt. Cum puerorum igitur formas, et corpora magno (1) hic opere miraretur: Horum, inquietunt illi, sorores sunt apud nos virginis: quare, qua sint illæ dignitate, potes ex his suspicari. Præbete igitur mihi, quæso, inquit, ex istis virginibus formosissimas, dum pingo id, quod pollicitus sum vobis, ut mutum in simulacrum ex animali exemplo veritas transferatur.

Tunc Crotoniatæ publico de consilio virgines unum in locum conduxerunt, et pictori, quas vellet, eligendi potestatem dederunt. Ille autem quinque delegit; quarum nomina multi poetæ memoriae tradiderunt, quod ejus essent judicio probatae, qui verissimum pulchritudinis habere judicium debuisse. Neque enim putavit, omnia, quæ quereret ad venustatem, uno in corpore se reperire posse; ideo quod nihil simplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Itaque, tanquam eæteris non sit habitura quod largiatur, si uni cuncta concesserit, aliud alii commodi aliquo adjuncto incommodo muneratur.

II. Quod quoniam nobis quoque voluntatis accidit, ut artem dicendi prescriberemus, non unum aliquod proposuimus exemplum, cuius omnes partes, quocumque essent in genere, exprimendæ nobis necessario viderentur: sed, omnibus unum in locum coactis scriptoribus, quod quisque commodissime præcipere videbatur, excerpimus, et ex variis ingenii excellentissima quæque libavimus. Ex iis enim, qui nomine et memoria digni sunt, nec nihil optime, nec omnia præclarissime quisquam dicere nobis videbatur.

### Ex lib. II de Oratore.



IV. Atque ut omittam Græciam, quæ semper eloquentiæ princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa est, et perfecta: in hac ipsa civitate profecto nulla unquam vehementius, quam eloquentiæ studia viguerunt. Nam posteaquam, império omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit,

---

(1) Hic est versus exactus.

nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dieendum studio omni enitendum putavit.

Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem, auditis oratoribus Græcis, cognitisque eorum literis, adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. Excitabat eos magnitudo et varietas, multitudineque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus esset, adjungetur usus frequens, qui omnium magistrorum præcepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quæ nunc quoque sunt, exposita præmia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia vero ut multis rebus possumus judicare, nostrorum hominum multum cæteris hominibus omnium gentium præstiterunt.

Quibus de causis, quis non jure miretur, ex omni memoria ætatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri? Sed nimirum majus est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum.

V. Quis enim aliud in maxima dissentium multitudine, summa magistrorum copia, præstantissimis hominum ingenii, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiae propositis præmiis, esse causæ putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem, ac difficultatem?

Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est: et ipsa oratio conformanda non solum electione, sed etiam constructione verborum: et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi, quod omnis vis ratio que dicendi, in eorum, qui audiunt, mentibus; aut sedandis, aut excitandis expromenda est.

## LXX.

### Ex eodem libro.

XV. Quamobrem si quis universam et propriam oratoris vim

definire, complectique vult; is orator erit, mea sententia, hoc tam gravi dignus nomine, qui, quæcumque res inciderit, quæ sit dictio explicanda, prudenter, et composite, et ornate, et memoriter dicat, cum quadam actionis dignitate.

Sed si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est distributa, in naturæ obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores; duo illa relinquamus, idque largiamur inertiae nostræ: tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus: cætera si non didicerit, tamen poterit, si quando volet, ornare dicendo, cum erunt ad eum delata, et ei tradita.

**XVI.** Est enim finitus oratori poeta, numeris adstrictior paulo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius, ac pene par: in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat, aut definit jus suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari, qua velit.

**XXII.** Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quærimus: existimesne artem aliquam esse dicendi. Ego vero, inquit, istis obsequi studeo, neque gravabor breviter meo more, quid quaque de re sentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scævola, fas mihi esse non puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artem, aut pertinuem videri, sed omnem esse contentio-nem inter homines doctos in verbi controversia positam.

**XXIII.** Nam si ars ita definitur, ut paulo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis, planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio sejuntes, scientiaque comprehensis; non mihi videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia, et ad vulgarem popularioremque sensum accommodata, omnia genera hujus forensis nostræ dictio[n]is.

Sin autem ea, quæ observata sunt in usu ac ratione dicendi, hæc ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac nota-ta, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt (id quod fieri potuisse video), non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione, ars esse videatur. Sed sive est ars, sive artis quædam similitudo, non est quidem ea negligenda: verum intelligendum est, alia quædam ad consequendam eloquentiam esse majora.

**XXV.** Sic igitur sentio, inquit Crassus, naturam primum,

atque ingenium ad dicendum vim asserre maximam: neque vero istis, de quibus paulo ante dixit Antonius, scriptoribus artis, rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent, qui et ad excogitandum acuti, et ad explicandum, ornandumque sint uberes, et ad memoriam firmi, atque diuturni.

### Ex Bruto sive de claris oratoribus.



**XLVI.** Id tu, Brute, jam intelliges, cum in Galliam veneris. Audies tu quidem etiam verba quædam non trita Romæ: sed hæc mutari, dediscique possunt. Illud est majus, quod in vocibus nostrorum oratorum recinit quiddam, et resonat urbanius. Nec hoc in oratoribus modo appetet, sed etiam in ceteris.

Ego memini T. Tincam Placentinum, hominem facetissimum, cum familiari nostro Q. Granius præcone dicacitate certare. Eon, inquit Brutus, de quo multa Lucilius? Isto ipso: sed Tincam non minus multa ridicule dicentem Granius obruebat nescio quo sapore vernaculo: ut ego jam non mirer, illud Theophrasto accidisse, quod dicitur, cum percontaretur ex anicula quadam, quanti aliquid venderet; et respondisset illa, atque addidisset, *Hospes non pote minoris*: tulisse eum moleste, se non effugere hospitis speciem, cum ætatem ageret Athenis, optime que loqueretur. Omnino sic (ut opinor) in nostris est quidam urbanorum, sicut ille Atticorum, sonus. Sed domum redeamus, id est, ad nostros revertamur.

**LIV.** Qui præstat igitur intelligens imperito magna re et difficili: si quidem magnum est scire, quibus rebus efficiatur, amittaturve dicendo illud quidquid est, quod aut effici dicendo oportet, aut amitti non oportet. Præstat etiam illo doctus auditor indocto, quod sæpe, cum oratores duo, aut plures populi iudicio probantur, quod dicendi genus optimum sit, intelligit.

**LVI.** Atque in his oratoribus illud animadvertisendum est, posse esse summos, qui inter se sint dissimiles. Nihil enim tam dissimile, quam Cotta Sulpicio; at uterque æqualibus suis plurimum præstilit. Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque: et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos.

**LXXII.****Ex eodem libro.**

**LXXXII.** Tum Brutus, Atticum se, inquit, Calvus noster dici oratorem volebat. Inde erat ista exilitas, quam ille de industria consequebatur. Dicebat, inquam, ita: sed et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat. Nam si quis eos, qui nec inepte dicunt, nec odiose, nec putide, Attice putat dicere, is recte, nisi Atticum, probat neminem. Insulsitatem enim et insolentiam, tanquam insaniam quamdam orationis, odit: sanitatem autem et integritatem, quasi religionem et verecundiam oratoris probat. Hæc omnium debet oratorum eadem esse sententia.

Sin autem jejunitatem, et siccitatem, et inopiam, dummodo sit polita, dum urbana, dum elegans, in Attico genere pónit; hoc recte duntaxat: sed quia sunt in Atticis alia meliora, videat ne ignoret et gradus, et dissimilitudines, et vim, et varietatem Atticorum. Atticos, inquit, volo imitari. Quos? nec enim est unum genus. Nam quid est tam dissimile, quam Demosthenes et Lysias? quam idem, et Hyperides? quam omnium horum Æschines? Quem igitur imitoris? Si aliquem, cæteri ergo Attice non dicebant. Si omnes; qui potes, cum sint ipsi dissimillimi inter se? In quo etiam illud quæro, Phalereus ille Demetrius Atticene dixerit? Mihi quidem ex illius orationibus redolere ipsæ Athenæ videntur. At est floridior, ut ita dicam, quam Hyperides, quam Lysias: natura quædam, aut voluntas ita dicendi fuit.

**LXXXIII.** Atticorum similes esse volumus. Optime. Suntne igitur ii Attici oratores? Quis negare potest? Hos imitamus. Quo modo, qui sunt et inter se dissimiles, et aliorum? Thucydidem, inquit, imitamus. Optime, si historiam scribere, non si causas dicere cogitatis. Thucydides enim rerum gestarum pronunciator sincerus, et grandis etiam fuit. Hoc forense, conciatorum, judiciale non tractavit genus. Orationes autem, quas inferposuit, (multæ enim sunt,) eas ego laudare soleo: imitari neque possim, si velim, nec velim fortasse, si possim. Ut, si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximis consulibus natum velit; nec rursus ita vetere, ut Opimum, aut Anicium consulem quærat. Atqui eæ notæ sunt optimæ. Crèdo: sed nimia vetustas

nec habet eam, quam quærimus, suavitatem, nec est jam sane tolerabilis. Ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior.

**LXXXIV.** Demosthenem igitur imitemur. O dii boni! quid, quæso, nos aliud agimus, aut quid aliud optamus? At non asse-  
quimur. Volo hoc oratori contingat, ut cum auditum sit eum esse dicturum, locus in subselliis occupetur, compleatur tribunal, gratiosi scribæ sint in dando et cedendo loco, corona multi-  
plex, judex erectus: cum surgit is, qui dicturus sit, significetur a corona silentium, deinde crebræ assensiones, multæ admirationes: risus, cum velit; cum velit, fletus: ut, qui hæc procul vi-  
deat, etiamsi, quid agatur, nesciat; at placere tamen, et in scena esse Roscium intelligat. Hæc cui contingent, eum scito Attice di-  
cere, ut de Pericle audivimus, ut de Hyperide, ut de Æschine, de  
ipso quidem Demosthene maxime.

### Ex orator. ad M. Brutum cap. 24.

Erit igitur eloquens (hunc enim, auctore Antonio, quærimus) is, qui in foro causisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. Probare, necessitatis est: delectare, suavitatis: flectere, victoriae. Nam id unum ex omnibus ad obtinendas cau-  
sas potest plurimum. Sed quot officia oratoris, tot sunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo: in quo uno vis omnis oratoris est. Magni igitur ju-  
dicii, summae etiam facultatis esse debebit moderator ille, et quasi temperator hujus tripartitæ varietatis. Nam et judicabit, quid cuique opus sit; et poterit, quocumque modo postulabit causa, dicere. Sed est eloquentiae, sicut reliquarum rerum, fun-  
damentum sapientia. Ut enim in vita, sic in oratione, nihil est difficilius, quam, quid deceat, videre. *Prepon* appellant hoc Græ-  
ci: nos dicamus sane decorum. De quo præclare, et multa præ-  
cipiuntur, et res est cognitione dignissima. Hujus ignoratione non modo in vita, sed saepissime et in poematis, et in oratione peccatur.

Est autem, quid deceat, oratori videndum, non in sententiis solum, sed etiam in verbis.

**XXII.** Quod si poeta fugit, ut maximum vitium, qui peccat etiam, cum probam orationem affingit improbo, stulto ve sapien-

sis: si denique pictor ille (1) vidit, cum immolanda Iphigenia tristis Calchagesset, moerentur Ulysses, moereretur Menelaus; obvolvendum caput Agamemnonis esse, quoniam summum illum luctum penicillo non posset imitari: si denique histrio, quid deceat, queritur: quid faciendum oratori putemus? Sed, cum hoc tantum sit: quid in causis, earumque quasi membris faciat, orator viderit. Illud quidem perspicuum est, non modo partes orationis, sed etiam causas totas, alias alia forma dicendi esse tractandas.

### Ex M. Vitruv. Pollio. de Architectura l. 5 c. 1.

#### De sacrarum aedium compositione et symmetriis, et corporis humani mensura.

Aedium compositio constat ex symmetria, cuius rationem diligentissime Architecti tenere debent. Ea autem paritur a proportione, quae Graece analogia dicitur. Proportio est ratæ partis membrorum in omni opere totiusque commodulatio, ex qua ratio efficitur symmetriarum. Namque non potest aedes ultra sine symmetria atque proportione rationem habere compositionis, nisi uti ad hominis bene figurati membrorum habuerit exactam rationem. Corpus enim hominis ita natura composuit, uti os capitum a mento ad frontem summam, et radices imas capilli esset decimæ partis. Item manus palma ab articulo ad extremum medium digitum tantumdem. Caput a mento ad summum verticem, octavæ. Tantumdem ab cervicibus imis. Ab summo pectore ad imas radices capillorum, sextæ: ad summum verticem, quartæ: ipsius autem oris altitudinis tertia pars est ab imo mento ad imas nares: nasus ab imis naribus ad finem medium superciliorum, tantumdem; ab ea fine ad imas radices capilli, ubi frons efficitur, item tertiae partis. Pes vero altitudinis corporis sextæ, cubitus quartæ, pectus item quartæ. Reliqua quoque membra suos habent commensus proportionis, quibus etiam antiqui pictores et statuarii nobiles usi magnas et infinitas laudes sunt assecuti. Similiter vero sacrarum aedium membra, ad universam totius magnitudinis summam ex partibus singulis convenientissimum debent habere commensuum responsum.

---

(1) Timanthes.

## LXXIV.

**Ex Bruto sive de claris oratoribus.**

**XCHI.** Duo tum excellebant oratores, qui me imitandi cupiditate incitarent, Cotta et Hortensius: quorum alter remissus et lenis, et propriis verbis comprehendens solute et facile sententiam; alter ornatus, acer, et non talis, quem tu eum, Brute, jam deflorescentem cognovisti, sed verborum, et actionis genere commotior. Itaque cum Hortensio mihi magis arbitrabar rem esse, quod et dicendi ardore eram propior, et ætate conjunctior. Etenim videram in iisdem causis, ut pro M. Canulejo, pro Cn. Dolabellæ consulari, cum Cotta princeps adhibitus esset, priores tamen agere partes Hortensium. Acrem enim oratorem, incensum, et agentem, et canorum, concursus hominum, forique strepitus desiderat.

Unum igitur annum, cum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus, cum quæsturam nos, consulatum Cotta, adilitatem peteret Hortensius. Interim me quæstorem Siciliensis exceptit annus: Cotta ex consulatu est profectus in Galliam: princeps et erat et habebatur Hortensius. Cum autem anno post e Sicilia me recepisset, jam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum, et habere maturitatem quamdam suam. Nimis multa videor de me, ipse præsertim: sed omni huic sermoni propositum est, non ut ingenium, et eloquentiam meam perspicias, unde longe absum, sed ut laborem et industriam.

**XCHII.** Nos autem non desistebamus, cum omni genere exercitationis, tum maxime stylo, nostrum illud, quod erat, augere, quantumcumque erat. Atque (ut multa omittam) in hoc spatio, et in iis post ædilitatem annis, et prætor primus, et incredibili populari voluntate sum factus. Nam cum propter assiduitatem in causis et industriam, tum propter exquisitius, et minime vulgare orationis genus, animos hominum ad me dicendi novitate converteram.

Nihil de me dicam: dicam de cæteris, quorum nemo erat, qui videretur exquisitius, quam vulgus hominum, studuisse literis, quibus fons perfectæ eloquentiæ continetur: nemo, qui philosophiam complexus esset, matrem omnium bene factorum beneque dictorum: nemo, qui jus civile didicisset, rem ad pri-

vatas causas, et ad oratoris prudentiam, maxime necessariam: nemo, qui memoriam rerum Romanarum teneret, ex qua, si quando opus esset, ab inferis locupletissimos testes excitaret: nemo, qui breviter, arguteque, inclusu adversario, laxaret judicium animos, atque a severitate paulisper ad hilaritatem, risumque traduceret: nemo, qui dilatare posset, atque a propria ac definita disputatione hominis, ac temporis, ad communem quæstionem universi generis orationem traduceret: nemo, qui delectandi gratia digredi parumper a causa: nemo, qui ad iracundiam magnopere judicem, nemo, qui ad fletum posset adducere: nemo, qui animum ejus (quod unum est oratoris maxime proprium) quocumque res postularet, impelleret.

**XCIV.** Itaque cum jam pene evanisset Hortensius, et ego anno meo, sexto autem post illud consulem, consul factus essem, revocare se ad industriam cœpimus: ne, cum pares honore essemus, aliqua re superiores videtur. Sic duodecim post meum consulatum annos in maximis causis, cum ego mihi illum, sibi me ille anteferret, conjunctissime versati sumus: consilatusque meus, qui illum primo leviter perstrinxerat, idem nos rerum mearum gestaram, quas ille admirabatur, laude coniuxerat.

### Ex oratore cap. 50.

Quantis illa clamoribus adolescentuli diximus de suppicio parricidarum? quæ nequaquam satis deferuisse post aliquanto sentire cœpimus: *Quid enim tam commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus ejectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de cælo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat; ita jactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita postremo ejiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant, et quæ sequuntur (1).* Sunt enim omnia, sicut adolescentis, non tam re et maturitate, quam spe et exspectatione, laudati.

Ab hac indole jam illa matura: *uxor generi, noverca filii, filiae pellex.* (2) Nec vero hic unus erat ardor in nobis, ut hoc modo omnia diceremus. Ipsa enim illa pro Roscio juvenilis redundantia, multa habet attenuata, quædam etiam paulo hiliora

(1) Pro Sexto Roseo Amerino.

(2) Pro Cluentio.

**XXXVII.** Duo sunt, quæ bene tractata ab oratore, admirabilem eloquentiam faciant: quorum alterum est, quod Græci *ethicon* vocant, ad naturam, et ad mores, et ad omnem vitæ consuetudinem accommodatum: alterum, quod iidem *patheticon* nominant, quo perturbantur animi et concitantur, in quo uno regnat oratio. Illud superius, come, jucundum, ad benevolentiam conciliandam paratum: hoc, vehemens, incensum, incitatum, quo causæ eripiuntur; quod cum rapide fertur, sustineri nullo pacto potest. Quo genere nos mediocres, aut multo etiam minus, sed magno semper usi impetu, sæpe adversarios de statu omni dejecimus. Nobis pro familiari reo summus orator non respondit Hortensius. A nobis homo audacissimus Catilina in se-natu accusatus obmutuit. Nobis privata in causa magna et gravi, cum coepisset Curio pater respondere, subito assedit, cum sibi venenis ereptam memoriam diceret.

Quid ego de miserationibus loquar? quibus eo sum usus pluribus, quod etiam si plures dicebamus, perorationem mihi tam omnes relinquebant. In quo ut viderer excellere, non ingenio, sed dolore assequebar. Quæ qualiacumque in me sunt: me enim ipsum non pœnitet, quanta sint: sed apparent in orationibus: etsi carent libri spiritu illo, propter quem majora eadem illa, cum aguntur, quam cum leguntur, videri solent.

---

### LXXXVI.

## Ex Quintiliani Instit. orator. lib. 10, cap. 4.

---

Oratores vero, vel præcipue latinam eloquentiam parem facere græcæ possunt. Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter opposuerim. Nec ignoro quantam mihi concitem pugnam, cum præsertim id non sit propositi, ut eum Demostheni comparem hoc tempore: neque enim attinet, cum Demosthenem in primis legendum, vel ediscendum potius pulem. Quorum ego virtutes plerasque arbitror similes, eonsilium, ordinem, dividendi, præparandi, probandi rationem, omnia denique, quæ sunt inventionis. In eloquendo est aliqua diversitas: densior ille, hic co-

piosior: ille concludit astrictius, hic latius pugnat: ille acumine semper, hic frequenter et pondere: illi nihil detrahi potest, buic nihil adjici: curae plus in illo, in hoc naturae.

Salibus certe, et commiseratione (qui duo plurimum affectus valent) vincimus. Et fortasse epilogos illi mos civitatis abs-tulerit. Sed et nobis illa, quae attici mirantur, diversa latini sermonis ratio minus permisera.

In epistolis quidem, quamquam sunt utriusque, nulla contentio est.

Cedendum vero in hoc quidem, quod et ille prior fuit, et ex magna parte Ciceronem, quantus est, fecit. Nam mihi videtur M. Tullius, cum se totum ad imitationem græcorum contulisset, effinxisse vim Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis. Nec vero, quod in quoque optimum fuit, studio consecutus est tantum, sed plurimas, vel potius omnes ex se ipso virtutes extulit immortalis ingenii beatissima ubertate. Non enim pluvias (ut ait Pindarus) aquas colligit, sed vivo gurgite exundat, dono quodam providentiae genitus, in quo totas vires suas eloquentia experiretur.

Nam quis docere diligentius, movere vehementius potest? Cui tanta unquam jucunditas affuit? ut ipsa illa, quæ extorquet, impetrare eum credas: et cum transversum vi sua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, sed sequi. Jam in omnibus, quæ dicit, tanta auctoritas inest, ut dissentire pudeat: nec advocati studium, sed testis, aut judicis afferat fidem. Cum interim haec omnia, quæ vix singula quisquam intentissima cura consequi posset, flunt illaborata: et illa, qua nihil pulchrius auditu est, oratio præ se fert tamen felicissimam facilitatem.

Quare non immerito ab hominibus ætatis suæ regnare in judiciis dictus est: apud posteros vero id consecutus, ut Cicero jam non hominis, sed eloquentiae nomen habeatur. Hunc igitur spectemus: hoc propositum sit nobis exemplum. Ille se proficisse sciat, cui Cicero valde placebit.

### Ex libro 12 cap. 11.

Tot nos præceptoribus, tot exemplis instruxit antiquitas, ut possit videri nulla forte nascendi ætas felicior, quam nostra, cui docendæ priores elaboraverunt.

At perficere tantum opus, arduum est, et nemo perfecit. Ante omnia sufficit ad exhortationem studiorum, non cadere in

rerum naturam, ut quicquid non est factum, ne fieri quidem possit: cum omnia, quae magna sunt, atque admirabilia, tempus aliquod, quo primum efficerentur, habuerint.

Quantum enim poesis ab Homero, et Virgilio, tantum fastigium accepit eloquentia à Demosthene, atque Cicerone. Denique quicquid est optimum, ante non fuerat. Verum etiamsi quis summa desperet, (quod cur faciat, cui ingenium, valetudo, facultas, praeceptor non deerunt?) tamen est (ut Cicero ait) pulchrum in secundis, testisque consistere.

Ipsam igitur orandi majestatem, qua nihil dii immortales melius homini dederunt, et qua remota muta sunt omnia, et luce praesenti, et memoria posteritatis carent, toto animo petamus, nitamurque semper ad optima: quod facientes, aut evademus in summum, aut certe multos infra nos videbimus.

### Ex Quintil. seu Taciti dialogo de oratoribus.

Satis constat, nec Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens, nec satis pressus, supra modum exultans et superfluens, et parum antiquus videretur. Legisti utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas: ex quibus facile est reprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque disjunctum; rursumque Ciceronem a Calvo quidem male audivisse, tanquam solutum et enervem: a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum atque elumbem.

Nam priores ejus orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, rare incalescit: pauci sensus optimi, et cum quodam lumine terminantur: nihil excerpere, nihil referre possis: et velut in rudi aedificio, firmus sane paries, et duraturus, sed non satis expolitus et splendens. Ego autem oratorem, sicut locupletem ac laudatum patrem familiae non eo tantum volo tecto tegi, quod imbre ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet: non ea solum instrui supellectile, quae necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu ejus, et aurum, et gemmæ, ut sumere in manu, ut aspicere saepius liceat: quædam vero procul arceantur, ut jam obliterata et olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inertis structura in morem annalium componantur: fugiat foedam et in-

sulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnes clausulas uno et eodem modo terminet. Nolo irridere rotam fortunæ, et jus verrinum, et illud tertio quoque sensu in omnibus pro sententia positum, esse videatur.

## LXXVIII.

### Ex orat. 2.<sup>a</sup> in Rullum de lege agraria, ad pop.

Est hoc in more positum, Quirites, institutoque majorum, ut ii, qui beneficio vestro imagines familiæ suæ consecuti sunt, eam primam habeant concessionem, qua gratiam beneficij vestri cum suorum laude conjungant: qua in oratione nonnulli aliquando digni majorum loco reperiuntur: plerique autem hoc perficiunt, ut tantum majoribus eorum debitum esse videatur, unde etiam, quod posteris solveretur, redundaret. Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non quod non tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis; sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt. De me autem ipso vereor, ne arrogantis sit apud vos dicere: ingrati, tacere.

Nam et, quibus studiis hanc dignitatem consecutus sim, metipsum commemorare, perquam grave est: et silere de tantis vestris beneficiis nullo modo possum. Quare adhibebitur a me certa ratio, moderatioque dicendi, ut quid a vobis acceperim, commemorem: quare dignus vestro summo honore, singularique judicio sim, ipse modice dicam, si necesse erit; vos eosdem existimaturos putem, qui judicavistis. Me perlongo intervallo prope memoriae, temporumque nostrorum, primum hominem novum, consulem fecistis; et eum locum, quem nobilitas praesidiis firmatum atque omni ratione obvallatum tenebat, me duce, rescindistis; virtutique in posterum patere voluistis. Neque me tantummodo consulem, quod est ipsum per se amplissimum, sed ita fecistis, quomodo pauci nobiles in hac civitate consules facti sunt, novus ante me nemo.

Nam profecto si recordari volueritis, de novis hominibus reperiatis eos, qui sine repulsa consules facti sunt, diuturno labo-

re, aut aliqua occasione esse factos, cum multis annis post petiissent, quam prætores fuissent; aliquanto serius, quam per æatem, ac per leges liceret: qui autem anno suo petierint, sine repulsa non esse factos. Me esse unum ex omnibus novis hominibus, de quibus meminisse possumus, qui consulatum petierim, cum primum licitum sit; consul factus sim, cum primum petierim: ut vester honos ad mei temporis diem petitus, non ad alienæ petitionis occasionem interceptus, nec diurnis precibus efflagitatus, sed dignitate impetratus esse videatur.

Est illud amplissimum, quod paulo ante commemoravi, Quirites, quod hoc honore ex novis hominibus primum me, multis post annis, affecisti: quod prima petitione: quod anno meo: sed tamen magnificentius atque ornatus esse illo nihil potest, quod meis comitiis non tabellam vindicem tacitæ libertatis, sed vocem vivam præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum, ac studiorum tulistis. Itaque me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus; neque singulae voces præconum, sed una voce universus populus romanus consulem declaravit.

Hoc ego tam insigne, tam singulare vestrum beneficium, Quirites, cum ad animi mei fructum atque latitudinem duco esse per magnum, tum ad curam sollicitudinemque multo majus. Versantur enim, Quirites, in animo meo multæ et graves cogitationes, quæ mihi nullam partem neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertinent: primum tuendi consulatus: quæ cum omnibus est difficilis et magna ratio, tum vero mihi, præter cæteros: cui errato nulla venia; recte facto exigua laus, et ab invitis expressa proponitur: non, dubitanti fidele consilium; non, laboranti certum subsidium nobilitatis ostenditur.

Quod si solus in discrimen aliquod adducerer, ferrem, Quirites, animo æquiore: sed mihi videntur certi homines, si qua in re non modo consilio, verum etiam casu lapsum esse arbitrabuntur, vos universos, qui me antetuleritis nobilitati, vituperaturi. Mihi autem, Quirites, omnia potius perpetienda esse duco, quam non ita gerendum consulatum, ut in omnibus meis factis atque consiliis vestrum de me factum consiliumque laudetur. Accedit etiam ille mihi summus labor, ac difficillima ratio consulatus gerendi, quod non eadem, qua superioribus consulibus, lege et conditione utendum esse decrevi: qui aditum hujus loci, conspectumque vestrum partim magnopere fugerunt, partim non vehementer seuti sunt.

Ego autem non solum hoc in loco dicam, ubi est id dictu facillimum: sed in ipso senatu, in quo esse locus huic voci non videbatur, popularem me futurum esse consulem, prima mea illa oratione Calendis Januarii dixi. Neque enim ullo modo facere possum, ut, cum me intelligam, non hominum potentium studio, non excellentibus gratis paucorum, sed universi populi Romani judicio consulem ita factum, ut nobilissimis hominibus longe præponerer, non et in hoc magistratu, et in omni vita essem popularis. Sed mihi ad hujusce verbi vim et interpretationem vehementer opus est vestra sapientia. Versatur enim magnus error, propter insidiosas nonnullorum simulationes: qui cum populi non solum commoda, verum etiam salutem oppugnant, et impediunt, oratione assequi volunt, ut populares esse videantur.

Ego qualem Calendis Januarii acceperim rempublicam, Quirites, intelligo; plenam sollicitudinis, plenam timoris: in qua nihil erat mali, nihil adversi, quod non boni metuerent, improbi expectarent. Omnia turbulenta consilia contra hunc reipublicæ statum, et contra vestrum otium partim iniri, partim, nobis consulibus designatis, inita esse dicebantur. Sublata erat de foro fides, non ictu aliquo novæ calamitatis, sed suspicione, ac perturbatione judiciorum, infirmatione rerum judicatarum: novæ dominationes, extraordinaria, non imperia, sed regna, quæri putabantur.

Quæ cum ego non solum suspicarer, sed plane cernerem, neque enim obscure agebantur, dixi in senatu, in hoc magistratu me popularem consulem futurum. Quid enim est tam populare, quam pax? qua non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta atque agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quam otium? Quod ita jucundum est, ut et vos, et majores vestri, et fortissimus quisque vir, maximos labores suscipiendo putet, ut aliquando in otio possit esse, præsertim in imperio ac dignitate: qui idcirco etiam majoribus nostris præcipuum laudem, gratianque debemus, quod eorum labore est factum, ut impune in otio esse possemus.

Quare quid possum non esse popularis, cum videam hæc omnia, Quirites, pacem externam, libertatem propriam generis, ac nominis vestri, otium domesticum, denique omnia, quæ vobis

cara atque ampla sunt, in fidem et quodammodo in patrocinium  
mei consulatus esse collata? Neque enim, Quirites, illud vobis  
jucundum aut popularē debet videri, largitio aliqua promulgata,  
quæ vobis ostentari potest, re vera fieri, nisi exhausto ærario,  
nullo pacto potest.

## LXXX.

## Ex Cic. Pro Milone oratione. Narratio.

Publius Clodius cum statuisset omni scelere in prætura vexare rempublicam, videretque ita tracta esse comitia anno superiore, ut non multos menses præturam gerere posset: qui non honoris gradum spectaret, ut cæteri, sed et L. Paulum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam rempublicam quereret: subito reliquit annum suum, seque in annum proximum transtulit, non religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad præturam gerendam, hoc est, ad evertendam rempublicam plenum annum, atque integrum. Occurrebat ei, mancam ac debilem præturam suam futuram, consule Milone: eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri videbat. Contulit se ad ejus competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus, etiam invitatis illis, gubernare: tota ut comitia suis, ut dictitabat, humeris sustineret.

Convocabat tribus: se interponebat: coloniam novam delectu perditissimorum civium conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Ubi videt homo ad omne facinus paratissimus fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani sæpe esse declaratum: palam agere cœpit, et aperte dicere, occidendum Milonem. Servos agrestes et barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura. Etenim palam dictibat, consulatum Miloni eripi non posse, vitam posse: significavit hoc sæpe in senatu: dixit in concione.

Quin etiam Favonio, fortissimo viro, quærenti ex eo, quæ spe fureret, Milone vivo, respondit, triduo illum, ad summum

quatriduo, peritum. Quam vocem ejus ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit. Interim cum sciret Clodius (neque enim erat difficile scire) iter solemne, legitimum, necessarium, ante diem XIII. Kalendas Feb. Miloni esse Lanuvium, ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo: Roma subito ipse profectus est, ut ante suum fundum (quod re intellectum est) Miloni insidias collocaret. Atque ita profectus est, ut concionem turbulentam, in qua ejus furor desideratus est, quæ illo ipso die habita est, relinquere: quam nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, nunquam reliquisset.

Milo autem, cum in senatu fuisse eo die, quoad senatus dismissus est, domum venit: calceos et vestimenta mutavit: paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est: deinde profectus est id temporis, cum jam Clodius, si quidem eo die Romanum venturus erat, redire potuisset. Obyiam fit ei Clodius expeditus, in equo, nullâ rhedâ, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut solebat: sine uxore, quod nunquam fere: cum hic insidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparasset, cum uxore veheretur in rheda, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri et delicato ancillarum, puerorumque comitatu. Fit obyiam Clodio ante fundum ejus horâ fere undecima, aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum. Adversi rhedarium occidunt. Cum autem hic de rheda, rejectâ penulâ, desiluisset, seque acri animo defenderet; illi, qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad rhedam, ut a tergo Milonem adorarentur: partim, quod hunc jam imperfectum putarent, cædere incipiunt ejus servos, qui post erant; ex quibus, qui animo fideli in dominum et præsentि fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rhedam pugnari viderent, et domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, et ita esse putarent: fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque præsente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

Hæc, sicut exposui, ita gesta sunt, Judices; insidiator superatus, vi victa vis, vel potius oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid res publica consecutæ sit, nihil, quid vos, nihil, quid omnes boni: nihil sane id proposit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin una rempublicam, vos-

que, servaret. Si id jure non posset, nihil habeo quod defendam.

### Ex Cic. pro P. Sextio peroratione.

Quare imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles alios, qui hanc rempublicam stabiliverunt: quos equidem in deorum immortalium cœtu ac numero repono. Amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis: præsentes fructus negligamus, posteritati, et gloriæ serviamus: id esse optimum putemus, quod erit rectissimum: speremus, quæ volumus, sed quod acciderit, feramus: cogitemus denique, corpus virorum fortium, magnorumque hominum, esse mortale: animi vero motus, et virtutis gloriam sempiternam: neque hanc opinionem si in illo sanctissimo Hercule consecratam videmus, cuius corpore ambusto, vitam ejus et virtutem immortalitas exceptisse dicitur, minus existimemus, eos, qui hanc tantam rempublicam suis consiliis, aut laboribus, aut auxerint, aut defenderint, aut servarint, esse immortalem gloriam consecutos.

Sed me repente, judices, de fortissimorum et clarissimorum civium dignitate et gloria dicentem, et plura etiam dicere parantem, horum aspectus in ipso cursu orationis repressit. Video P. Sextium, meæ salutis, vestræ auctoritatis, publicæ causæ defensorem, propugnatorem, auctorem, reum: video hunc prætestatum ejus filium oculis lachrymantibus me intuentem: video Milonem, vindicem vestræ libertatis, custodem salutis meæ, subsidium afflictæ reipublicæ, extinctorem domestici latrociniï, repressorem cædis quotidianæ, defensorem templorum atque tectorum, præsidium curiæ, sordidatum et reum: video P. Lentulum, cuius ego Patrem, deum ac parentem statuo fortunæ ac nominis mei, et fratris, rerumque nostrarum, in hoc misero squalore et sordibus: cui superior annus idem et virilem, patris; et prætextam, populi judicio, togam dederit, hunc hoc anno in hac toga, rogationis injustissimæ subitam acerbitatem pro patre fortissimo et clarissimo cive deprecantem.

Atque hic tot, et talium civium squalor, hic luctus, hæ sordes susceptæ sunt propter unum me, quia me defenderunt, quia meum casum luctumque doluerunt, quia me lugenti patriæ, flagitanti senatui, poscenti Italiae, vobis omnibus orantibus reddiderunt. Quod tantum est in me scelus? Quid tantopere de-

liqui illo, illo die, cum ad vos judicia, litteras, confessiones communis exitii detuli? cum parui vobis? At si scelestum est amare patriam, pertuli poenarum satis: eversa domus est, fortunæ vexatae, dissipati liberi, raptata conjux, frater optimus, incredibili pietate, amore inaudito, maximo in squalore volutatus est ad pedes inimicissimorum: ego pulsus aris, focis, diis penatibus, distractus a meis, carui patria, quam, uti levissime dicam, certe texeram; pertuli crudelitatem inimicorum, scelus infidelium, fraudem invidorum.

Si hoc non est satis, quod hæc omnia deleta videntur reditu meo: multo mihi, multo, inquam, judices, præstat, in eamdem illam recidere fortunam, quam tantam importare meis defensoribus et conservatoribus calamitatem. An ego in hac urbe esse possum, his pulsis, qui me hujus orbis compotem fecerunt? Non ero, non potero esse, judices: neque hic unquam puer, qui his lachrymis, qua sit pietate, declarat, amisso patre suo propter me, me ipsum incolumem videbit: nec, quotiescumque me viderit, ingemiscet, ac pestem suam, et patris sui, sese dicet videre. Ego vero vos in omni fortuna, quæcumque erit oblata, complectar: nec me ab iis, quos meo nomine sordidatos videtis, unquam ulla fortuna divellet: neque hæc nationes, quibus me senatus commendavit, quibus de me gratias egit, hunc exulem propter me sine me videbunt.

Sed hæc dii immortales, qui me suis templis advenientem reperunt, stipatum ab his viris, et P. Lentulo consule, atque ipsa republica, qua nihil est sanctius, vestræ potestati, judices, commiserunt. Vos hoc judicio omnium bonorum mentes confirmare, improborum reprimere potestis: vos his civibus uti optimis, vos me reficere, et renovare rempublicam. Quare vos, obtestor, atque obsecro, ut si me salvum esse voluistis, eos conservetis, per quos me recuperavistis.

---

### LXXXII.

**Ex Cicер. libro de republ. cap. 44 et 45.**

Sic tamquam pilam rapiunt inter se reipublicæ statum, tyronni ab regibus; ab iis autem principes aut populi; a quibus

aut factiores aut tyranni; nec diutius unquam tenetur idem rei publicæ modus.

Quod ita cum sit, tribus primis generibus longe præstat, mea sententia, regium; regio autem ipsi præstabat id quod erit æquatum et temperatum ex tribus optimis rerum publicarum modis. Placet enim esse quiddam in re publica præstans et regale; esse aliud auctoritate principum partum ac tributum; esse quasdam res servatas judicio voluntatique multitudinis. Hæc constitutio primum habet æquabilitatem quamdam magnam, qua carere diutius vix possunt liberi; deinde firmitudinem, quod et illa prima facile in contraria via convertuntur, ut existat ex rege dominus, ex optimatibus factio, ex populo turba et confusio, quodque ipsa genera generibus sæpe commutantur novis. Hoc in hac juncta moderateque permixta conformatio rei publicæ non ferme sine magnis principum vitiis evenit. Non est enim causa conversionis, ubi in suo quisque est gradu firmiter collatus, et non subest, quo præcipitet, ac decidat.

### Ex Tusculanarum lib. 19 cap. 26 et 27.



Mihi vero ne hæc quidem notiora et illustriora carcere vi divina videntur: ut ego aut poetam grave plerumque carmen sine cœlesti aliquo mentis instintu putem fundere, aut eloquentiam sine quadam vi majore fluere, abundantem sonantibus verbis überibusque sententiis. Philosophia vero, omnium mater artium, quid est aliud, nisi, ut Plato ait, donum, ut ego, inventum deorum? Hæc nos primum ad illorum cultum, deinde ad jus hominum, quod situm est in generis humani societate, tum ad modestiam magnitudinemque animi eruditivit: eademque ab animo, tamquam ab oculis, caliginem dispulit, ut omnia supera, infera, prima, ultima, media videremus. Prorsus hæc divinæ mihi videatur vis, quæ tot res efficiat et tantas. Quid est enim memoria rerum et verborum? Quid porro inventio? Profecto id, quo nec in Deo quidquam majus intelligi potest.

Hanc nos sententiam secuti, his ipsis verbis in Consolatione hæc expressimus: animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur: nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memorie, mentis, cogitationis habeat, quod et præte-

rita teneat, et futura provideat, et complecti possit præsentia; quæ sola divina sunt. Nec invenietur unquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quædam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, cœleste et divinum est: ob eamque rem æternum sit, necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam et libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens et movens, ipsaque prædicta motu sempiterno. Hoc e genere atque eadem e natura est humana mens.

### Epistola VIII. lib. 2 ad Atticum.

Cicero Pomponio Attico. S. D.

Epistolam cum a te avide expectarem ad vesperum, ut soleo, ecce tibi nuncius, pueros yenissem Roma. Voco, quaro, ecquid literarum? Negant. Quid ais, inquam, nihilne a Pomponio? Perterriti voce et vultu, confessi sunt se accepisse, sed excidisse in via. Quid quæris? permoleste tuli: nulla enim abs te per hos dies epistola inanis aliqua re utili et suavi venerat.

Nunc, si quid in ea epistola, quam ante diem XVI. Cal. Maj. dedisti, fuit historia dignum, scribe quam primum, ne ignoremus: sin nihil præter jocationem, redde id ipsum. Et scito Curiōnem adolescentem venisse ad me salutatum. Valde ejus sermo de Publio cum tuis litteris congruebat. Ipse vero mirandum in modum *reges odisse superbos*. Peræque narrabat incensam esse juventutem, neque ferre hæc posse. Bene habemus; nos, si in his spes est, opinor, aliud agamus. Ego me do historiæ.

Quænquam, licet me Saufejum putas esse, nihil me est inertius. Sed cognosce itinera nostra; ut statuas, ubi nos visurus sis. In Formianum volumus venire Parilibus; inde, quoniam putas prætermittendum nobis esse hoc tempore cratera illum delictum, Cal. Maj. de Formiano proficiscemur, ut Antii simus ante diem V. Non. Maj. Ludi enim Antii futuri sunt a IV ad prid. Non. Maj. Eos Tullia spectare vult. Inde cogito in Tusculanum, deinde Arpinum, Romam ante diem Cal. Jun. Te aut in Formiano, aut Antii, aut in Tusculano, cura, ut videamus. Epistolam superiorem restitue nobis, et appinge aliquid novi.

**Ex lib. XIII ad familiares epist. XLVI.****M. T. Cic. Apulejo proquaestori S. P. D.**

Lucius Nostius Zoilus, est cohæres meus: hæres autem patroni sui. Ea re utrumque scripsi, ut et mihi cum illo causam amicitiae scires esse, et hominem probum existimares, qui patroni judicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commando, ut unum ex nostra domo. Valde mihi gratum erit, si curaris, ut intelligat, hanc commendationem sibi apud te magno adjumento fuisse. Vale.

**Epist. LVIII.****M. T. C. Titio L. F. Rufo, Præt. urbano S.**

Lucius Custidius est tribulus, et municeps, et familiaris meus. Is causam habet, quam causam ad te deferet. Commando tibi hominem, sicuti tua fides et meus pudor postulat; tantum ut faciles ad te aditus habeat: quæ æqua postulabit, ut libente te impetreret; sentiatque meam sibi amicitiam, etiam cum longissime absim, prodesse in primis apud te. Vale.

**Ex lib. XVI ad Atticum epist. XVI.****Cic. Attico Sal.**

Jucundissimas tuas legi litteras. Ad Plancum scripsi: habes exemplum. Cum Tirone quid sit locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris.

**LXXXIV.****Ex C. Vell. Paternuli hist. lib. 4.**

Historicos, ut et Livium quoque priorum ætati adstruas præter Catonem, et quosdam veteres, et obscuros, minus LXXX

annis circumdataum ævum tulit: ut nec poetarum in antiquius, citeriusve processit ubertas. At oratio, ac vis forensis, perfectumque prosæ eloquentiae decus, ut idem separetur Cato, (pace P. Crassi, Scipionisque, Lælii, et Gracchorum, et Fannii, et Ser. Galbae dixerim) ita universa sub principe operis sui erupit Tullio; ut delectari ante eum paucissimis, mirari vero neminem possis, nisi aut ab illo visum, aut qui illum viderit. Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, sculptoribus, ut quisque temporum institerit notis, reperiet, eminentia cujusque operis arctissimis temporum claustris circumdata.

Hujus ergo, præcedentisque sæculi, ingeniorum similitudines congregantis et in studium par, et in emolumentum, causas cum semper requiro, nunquam reperio, quas esse veras confidam, sed fortasse verisimiles, inter quas has maxime. Alit æmulatione ingenia: et nunc invidia, nunc admiratio imitationem accedit: naturaque quod summo studio petitum est, adscendit in summum; difficilisque in perfecto mora est: naturaliterque, quod procedere non potest, recedit: et ut primo ad consequendos, quos priores ducimus, accendimur; ita ubi aut præteriri, aut æquari eos posse desperavimus, studium cum spe senescit, et quod assequi non potest, sequi desinit, et velut occupatam relinqueens materiam, quærit novam: præteritoque eo, in quo eminere non possumus, aliquid, in quo nitamus, conquirimus: sequiturque, ut frequens ac mobilis transitus, maximum perfecti operis impedimentum sit.

### **Ex M. Annæi Senecæ controvers. lib. I præfat. Seneca Novato, Senecæ, Melæ filiis salutem.**

Exigitis rem magis jucundam mihi quam facilem. Jubetis enim, quid de his declamatoribus sentiam, qui in ætatem meam inciderunt, indicare, et si qua memoriæ meæ nondum elapsa sunt, ab illis dicta colligere.

Facilis autem, juvenes mei, rem necessariam et utiliem, quod non contenti exemplis sæculi vestri, priores quoque vultis cognoscere. Primum quia quo plura exempla inspecta sunt, plus eloquentia proficitur. Non est unus quamvis præcipuus sit, imitandus, quia nunquam par sit imitator auctori. Hæc natura est rei. Semper citra veritatem est similitudo.

Deinde ut possitis aestimare, quantum quotidie ingenia decrescant; et nescio qua iniuitate naturae eloquentia se retro tulerit: quidquid romana facundia habet, quod insolenti Græciæ aut opponat, aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc nata sunt. In deterius deinde quotidie data res est: sive luxu temporum, nihil est enim tam mortiferum ingenii, quam luxuria: sive cum præmium pulcherrimæ rei cecidisset, translatum est omne certamen ad turpia multo honore, quæstusque vigentia: sive fato quodam, cuius maligna, perpetuaque in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, velocius quidem, quam ascenderant, relabantur.

Torment ecce ingenia desidiosæ juventutis, nec in ullius honestæ rei labore vigilatur. Somnus languorque, ac somno et languore turpior, malarum rerum industria, invasit animos. Cantandi saltandique nunc obscena studia effeminatos tenent: et capillum frangere et ad muliebres blanditiias vocem extenuare, molitiae corporis certare cum feminis, et immundissimis se excollere munditiis, nostrorum adolescentium specimen est.

Erratis, optimi juvenes, nisi illam vocem non **M. Catonis**, sed oraculi creditis. Quid enim est oraculum? Nempe voluntas divina hominis ore enunciata. Ille ergo vir, quid ait? Orator est, Marce fili, vir bonus dicendi peritus. Eo libentius, quod exigitis, faciam. Omnes autem magni in eloquentia nominis videor audisse. Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, sed bellorum civilium furor, qui tunc totum orbem pervagatur, intra coloniam meam me continuit.

Declamabat autem Cicero, non quales nunc controversias dicimus, nec tales quidem, quales ante Ciceronem dicebantur, quas theses vocabant. Controversias nos dicimus: Cicero causas vocabat. Hoc vero alterum nomen græcum quidem est, sed in latinum ita translatum, ut pro latino sit. Scholastica controversia multo recentius est, sicut ipsa declamatio. Apud nullum auctorem antiquum ante ipsum Ciceronem et Calvum inveniri potest, qui declamationem distinguit. Ait enim declamare est, jam non mediocriter dicere. Bene alterum putat domesticæ exercitationis esse, alterum veræ actionis.

Latronis enim Porcii, carissimi mihi sodalis memoriam, saepius cogar retractare, et a prima pueritia usque ad ultimum ejus diem perductam familiarem amicitiam cum voluptate ma-

xima repetam. Nihil illo viro gravius, nihil suavius, nihil eloquentia sua dignius. Nemo plus ingenio suo imperavit; nemo plus indulxit. Memoria et natura quidem felix, sed plurimum adjuta arte. Numquam ille, quae dicturus erat, ediscendi causa relegebat. Edidicerat illa, cum scripserat, cum id in illo magis mirabile videri possit, quod nec lente et anxie, sed eodem pene, quo dicebat, impetu scribebat. In illo non tantum naturalis memoriae felicitas erat, sed ars summa, et ad apprehendenda, quae tenere debebat, et ad custodienda: adeo ut omnes declamationes suas, quascumque dixerat, teneret.

Jam itaque supervacuos sibi fecerat codices. Ajebat se scribere in animo. Cogitata dicebat ita, ut in ullo unquam verbo eum memoria deceperit. Historiarum omnium summa notitia: jubebat aliquem nominari ducem, et statim ejus acta cursu reddebat. Hoc quod tam vobis mirum videtur, non operosa potest tradi arte. Intra exiguum paucissimorum dierum tempus poterit quilibet facere id, quod Cineas fecit, qui missus a Pyrrho legatus ad Romanos, postero die novus homo, et senatum, et omnem urbanam circumfusam senatui plebem nominibus suis persalutavit. Aut quod ille fecit, qui recitatum a poeta carmen novum, suum esse dixit, et protinus memoria recitavit, cum hoc ille, cuius carmen erat, facere non posset. Aut quod fecit Hortensius, qui a Sisenna provocatus in auctione persedit diem totum, et omnes res, et pretia, et emptores ordine suo argentiis recognoscens ita, ut in nullo falleretur, recensuit. Cupitis statim discere? Suspendam cupiditatem vestram, et faciam alteri beneficio locum. Interim hoc vobis, in quo jam obligatus sum, persolvam.

---

## LXXXVI.

### Ex L. Annæi Senecæ lib. 4 de ira.

Exegisti à me, Novate, ut scriberem, quemadmodum posset ira leniri. Quidam e sapientibus iram dixerunt brevem insaniam: sive enim impotens sui est, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit, pertinax et intenta; rationi consiliisque

præclusa, vanis agitata causis, ad conspectum æqui, verique in-habilis, ruinis simillima, quæ super id, quod oppressere, franguntur. Ut autem scias, insanos esse, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax et minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietæ manus, color versus, crebra et vehementius acta suspicio: ita irascentium eadem signa sunt.

Flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuant-  
te ab imis præcordiis sanguine, labia quatiuntur, dentes compri-  
muntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus, ac stri-  
dens, articulorum se ipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque,  
et parum explanatis vocibus sermo præruptus, et complo-  
sæ sæpius manus, et pulsata humus pedibus, et totum conci-  
tum corpus, magnasqe iræ minas agens; fœda visu, et horrenda  
facies depravantium se, atque intumescentium. Nescias, utrum  
magis detestabile vitium sit, an deformè. Cætera licet abscon-  
dere, et in abdito alere: ira se profert, et in faciem exit; quan-  
toque major est, hoc effervescit manifestius. Cap. 1.

Optimum est, primum irritamentum iræ protinus spernere,  
ipsisque repugnare sensibus, et dare operam, ne incidamus in i-  
ram: nam si cœperit ferre transversos, difficilis ad salutem re-  
cursus est. Quoniam nihil rationis est, ubi semel affectus est in-  
ductus, jusque illi aliquod voluntate nostra datum est. Faciet de  
cætero, quantum volet, non quantum permiseris. In confinibus  
hostis arcendus est. Nam cum intravit, et portis se intulit, mo-  
dum a captivis non accipit. Neque enim sepositus est animus,  
et intrinsecus speculatur affectus, ut illos non patiatur ultra  
quam oportet procedere, sed etiam affectum ipsum imitatur.  
Cap. VIII.

## Ex libro II.



Duo autem, ut opinor sunt, remedia, scilicet, ne incida-  
mus in iram; et ne in ira peccemus. Educatio maximam dili-  
gentiam, plurimumque profuturam desiderat. Facile est enim  
teneros adhuc animos componere. Difficulter reciduntur vitia,  
quæ nobiscum creverunt. Opportunissima ad iracundiam servidi  
animi natura est. Cap. XVIII.

## Ex consolatione ad Helviam matrem.

Sæpe jam, mater optima, impetum cepi consolandi te, sæpe  
continui. Dolori tuo, dum recens sœviret, sciebam occurrentum  
non esse, ne illum ipsa solatia irritarent et accenderent: nam in  
morbis quoque nihil est perniciosius, quam immatura medicina.  
Capit. I.

Ilo omnis consolatio mihi vertenda est, unde vera vis mater-  
ni doloris oritur. Ego complexu filii carissimi careo; non con-  
spectu ejus, non sermone fruor. Ubi est ille, quo viso tristem  
vultum relaxari, in quo omnes sollicitudines meas deposui? ubi  
colloquia, quorum inexplebilis eram? ubi studia, quibus liben-  
tius, quam femina, familiarius quam māter, intereram? ubi ille  
occursus? ubi matre visa semper puerilis hilaritas? Bene nos  
longinquitas locorum divisorat: redisti, non ut voluptatem ex  
filio perciperes, sed ne consuetudinem desiderii perderes. Si  
multo ante abfuisses, fortius tulisses, ipso intervallo desiderium  
molliente: si non recessisses, ultimum certe fructum biduo diu-  
tius videndi filium tulisses. Nunc crudele fatum ita composit, <sup>ut nec fortunæ meæ interesses, nec absentiae assuesceres.</sup> Sed quanto ista duriora sunt, tanto major tibi virtus advocanda est,  
et velut cum hoste noto, ac sæpe jam victo, acrius est congre-  
diendum. Non ex intacto corpore tuo sanguis hic fluxit: per ip-  
sas cicatrices percussa es. Cap. XV.

## Ex libro de brevitate vitæ.

Major pars mortalium, Pauline, de naturæ malignitate con-  
queritur, quod in exiguum ævi gignimur, quod hæc tam velo-  
citer, tam rapide dati nobis temporis spatia decurrant: adeo ut  
exceptis admodum paucis, cæteros in ipso vitæ apparatu vita  
destituat. Cap. I.

Quid de rerum natura querimur? illa se benigne gessit. Vi-  
ta, si scias uti, longa est. Cap. II.

Nemo invenitur, qui pecuniam suam dividere velit: vitam  
unusquisque, quam multis distribuit? Adstricti sunt in conti-  
nendo patrimonio: simul ad temporis jacturam ventum est, pro-  
fusissimi in eo, cuius unius honesta avaritia est. Libet itaque ex  
seniorum turba comprehendere aliquem. Pervenisse te ad ulti-

mum aetatis humanæ videmus: centesimus tibi, vel supra, premitur annus; agendum, ad computationem aetatem tuam revoca. Dic quantum ex isto tempore creditor, quantum amica, quantum reus, quantum cliens abstulerit, quantum lis uxoria, quantum servorum coercitio, quantum officiosa per urbem discursatio. Adjice morbos, quos manu fecimus: adjice, quod et sine usu jacuit; vibebis te pauciores annos habere, quam numeras. Cap. III.

Audies plerosque dicentes: a L in otium recedam: LX annus ab officiis me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædem accipis? Quis ista, sicuti disponis, ire patietur? Quam serum est, tunc vivere incipere, cum desinendum est? quæ tam stulta mortalitatis oblivio, in L et LX annum differre sana consilia: et inde velle vitam inchoare, quo pauci perduxerunt, Cap. IV.

### LXXXVIII.

#### Ex Quintil. instit. orat. lib. II.

Oratorem autem instituimus illum, qui esse nisi vir bonus non potest: ideoque non dicendi modo eximiam in eo facultatem, sed omnes animi virtutes exigimus. Neque enim hoc concesserim, rationem rectæ, honestæque vitæ, ut quidam putaverunt, ad philosophos relegandam: cum vir ille civilis, et publicarum, privatarumque rerum administrationi accommodatus, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare judiciis possit, non aliud sit profecto quam orator. Quare tametsi me fateor usurum quibusdam, quæ philosophorum libris continentur, tamen ea jure vereque contenderim esse operis nostri, proprieque ad artem oratoriam pertinere. An si frequentissime de justitia, forititudine, temperantia, cæterisque similibus sit disserendum, adeo ut vix ulla possit causa reperiri, in qua non aliqua quæstio ex his incidat, eaque omnia inventione, atque elocutione sint explicanda; dubitabitur, ubicumque vis ingenii et copia dicendi postulatur, ibi partes oratoris esse præcipuas?

Fueruntque hæc, ut Cicerò apertissime colligit, quemadmo-

dum juncta natura, sic officio quoque copulata: ut iidem sapientes, atque eloquentes haberentur. Scidit deinde se studium; atque inertia factum est, ut artes esse plures viderentur. Procem-

### Ex lib. III.

Eo quidem res ista culpa docentium recidit, ut inter præcipuas, quæ corrumperent eloquentiam, causas, licentia, atque inscritia declamantium fuerit. Sed eo, quod natura bonum est, bene uti licet. Sint ergo et ipsæ materiæ, quæ fингentur quam simillimæ veritati: et declamatio in quantum maxime potest, imitetur eas actiones, in quarum exercitationem reperta est. Totum autem declamandi opus, qui diversum omnimo a forensibus causis existimant, ii profecto ne rationem quidem, qua ista exercitatio inventa sit, pervident. Nam, si foro non præparat, aut scenicæ ostentationi, aut furiosæ vociferationi simillimum est. Nihil ergo inter forense genus dicendi, atque hoc declamatorum intererit? Si prefectus gratia dicimus, nihil. Utinamque adjici ad consuetudinem posset, ut nominibus uteremur, et perplexæ magis, et longioris aliquando actus controversiæ fингentur; et verba in usu quotidiano posita minus timeremus; et jocos inserere moris esset: quæ nos, quamlibet per alia in schoulis exercitati sumus, tirones in foro inveniunt. Si vero in ostentationem comparetur declamatio, sane paululum aliquid inclinare ad voluptatem audientium debemus.

### Ex lib. X.

Nec vero saltem iis, quibus ad evitanda vitia judicii satis fuit, sufficiat imaginem virtutis effingere, et solam, ut sic dixerim, cutem, vel potius illas Epicuri figuræ, quas e summis corporibus dicit effluere. Hoc autem iis accidit, qui non introspectis penitus virtutibus, ad primum se velut aspectum orationis aptarunt; et cum iis felicissime cessit imitatio, qui verbis, atque numeris sunt non multum differentes, vim dicendi, atque inventionis non assequuntur; sed plerumque declinant in pejus, et proxima virtutibus vitia comprehendunt; fiuntque pro grandibus tumidi, pressis exiles, fortibus temerarii, lœtis corrupti, compositis exultantes, simplicibus negligentes.

Id quoque erit vitandum (in quo magna pars errat) ne in o-  
21.

ratione poetas nobis, et historicos, in illorum operibus oratores, aut declamatores imitandos putemus. Sua cuique proposita lex, suus decor est. Nec comœdia in cothurnos assurgit, nec contra tragœdia socco ingreditur. Habet tamen omnis eloquentia aliiquid commune. Id imitemur, quod commune est.

Itaque ne hoc quidem suaserim, uni se alicui proprie, quem per omnia sequatur, addicere. Quid ergo? non est satis omnia sic dicere, quomodo M. Tullius dixit? Mihi quidem satis esset, si omnia consequi possem. Quid tamen noceret, vim Cæsaris, asperitatem Cælii, diligentiam Pollionis, judicium Calvi, quibusdam in locis assumere? Nam præter id quod prudentis est, quod in quoque optimum est, si possit, suum facere: tum in tanta rei difficultate unum intuentes, vix aliqua pars sequitur. Cap. II.

### Ex lib. XIII.

Nam id quod prius, quodque majus est, ut boni viri simus, voluntate maxime constat: quam qui vera fide induerit, facile easdem, quæ virtutem docent, artes accipiet. Neque enim, aut tam perplexa, aut tam numerosa sunt, quæ premunt, ut non paucorum admodum annorum intentione discantur. Longam enim facit operam, quod repugnamus. Brevis est institutio vitæ honestæ, beatæque, si credas. Natura enim nos ad mentem optimam genuit. Cætera vero etiamsi ætatem nostram non spatio senectutis, sed tempore adolescentiæ metiamur, abunde multos ad discendum annos habent. Omnia enim breviora reddet ordo, et ratio, et modus.

### XC.

### Ex C. Plin. Secundi naturalis historiæ lib. VII.

Prior Africanus Q. Ennii statuam sepulchro suo imponi jussit: clarumque illud nomen, imo vero spolium ex tertia orbis parte raptum, in cinere supremo cum poetæ titulo legi. Divus Augustus carmina Virgilii cremari contra testamenti ejus verecundiam yetuit: majusque ita vati testimonium contigit, quam si

ipse sua carmina probavisset. Marci Varronis in bibliotheca, quæ prima in orbe ab Asinio Polione ex manubiiis publicata Romæ est, unius viventis posita imago est: haud minore, ut euidem reor, gloria, principe oratore et cive, ex illa ingeniorum, quæ tunc fuit multitudine, uni hanc coronam dante, quam cum eidem Magnus Pompejus piratico ex bello navalem dedit. Innumerabilia deinde sunt exempla romana, si persequi libeat: cum plures una gens in quocumque genere eximios tulerit, quam cæteræ terra.

Sed quo te, M. Tulli, piaculo taceam? quove maxime excellenter insigni prædicem? quo potius quam universi populi illius gentis amplissimi testimonio e tota vita tua consulatus tantum operibus electis? Te dicente, legem agrariam, hoc est, alimenta sua, abdicaverunt tribus: te suadente, Roscio theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discriminè sedis æquo animo tulerunt: te orante, proscriptorum liberos honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proscripsisti. Salve primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguaeque lauream merite, et facundiæ latiarumque literarum parens: atque ut dictator Cæsar hostis quondam tuus de te scripsit, omnium triumphorum lauream adepte majorem, quanto plus est, ingenij romani terminos in tantum promovisse, quam imperii. Cap. XXX.

## Ex Plinii Cæcilii Secundi lib. III epistol. V. C. Plinius Marco suo S.



Miraris quod tot volumina, multaque in his tam scrupulosa homo occupatus absolverit: magis miraberis, si scieris illum aliquandiu causas actitasse. Decessisse anno LVI, medium tempus distentum impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia principum egisse pernoscitur. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia: lucubrare a Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi; aestate, statim a nocte multa: hyeme vero, ab hora septima, vel quem tardissime octava, sæpe sexta. Erat sane somni parcissimi: nonnunquam etiam inter studia instantis et deserentis.

Ante lucem ibat ad Vespasianum imperatorem: nam ille quoque noctibus utebatur: inde ad delegatum sibi officium rever-

sus domum, quod reliquum erat temporis, studiis reddebat. Post cibum s<sup>e</sup>pe, quem interdiu levem et facilem, veterum more sumebat; aestate, siquid otii, jacebat in sole, liber legebatur: adnotabat, exercebatque: nihil enim legit, quod non exerceperet. Dicere etiam solebat; nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset. Post solem plerumque aqua frigida lavabatur, deinde gustabat, dormiebatque minimum. Mox quasi alio die, studebat in cœnæ tempus: super hanc liber legebatur, adnotabatur, et quidem cursim.

Memini quemdam ex amicis, quum lector quædam perperam pronunciasset, revocasse et repeti coegisse; huic avunculum meum dixisse: intellexeras nempe? quum ille annuisset; cur ergo revocabas? decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus; tanta erat parsimonia temporis. Surgebat aestate a cœna, luce: hyeme, intra primam noctis: et tamquam aliqua lege cogente hæc inter medios labores urbisque fremitum. In secessu solum balnei tempus studiis eximebatur: quum dico balnei, de interioribus loquor. Nam dum distringitur tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In itinere quasi solitus omnibus curis, huic uni vacabat: ad latus notarius cum libro et pugillaribus, cuius manus hyeme manicis muniebantur, ut ne cœli quidem asperitas ullum studii tempus eriperet; qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur.

Repeto me correptum ab eo, cur ambularem: Poteras, inquit, has horas non perdere: nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit.

### Ex lib. VII epist. IX. C. Plinius Fusco suo S.

Quæris quemadmodum in secessu, quo jam diu frueris, putem te studere oportere: utile in primis et multi præcipiunt, vel ex græco in latinum, vel ex latino vertere in græcum. Quo genere exercitationis proprietas, splendorque verborum, copia figurarum, vis explicandi, præterea imitatione optimorum similia inveniendi facultas paratur: simul quæ legentem fefellerint, transferentem fugere non possunt; intelligentia ex hoc et judicium adquiritur. Nihil obsuerit, quæ legeris hactenus, ut rem argumentumque teneas, quasi æmulum scribere, lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille commodius. Poteris

et, quæ dixeris, post oblivionem retractare, multa retinere, multa transire, alia interscribere, alia rescribere. Volo interdum aliquem ex historia locum apprehendas: volo epistolam diligenter scribas, volo carmina. Habes plura etiam fortasse quam requirebas: unum tamen omisi: non enim dixi, quæ legenda arbitrarer: quamquam dixi, quum dicerem, quæ scribenda tu memineris, sui cujusque generis auctores diligenter eligere. Ajunt enim, multum legendum esse, non multa.

### Ex C. Plinii Cæcilii Panegyrici cap. IV.

Sæpe ego mecum, P. C., tacitus agitavi, qualem, quantumque esse oporteret, cuius dictione, nutuque maria, terræ, pax, bella regerentur: quum interea singenti, formantique mihi Principem, quem æquata Diis immortalibus potestas deceret, nunquam voto saltem concipere succurrit similem huic, quem videamus. Enituit aliquis in bello, sed obsolevit in pace; alium toga, sed non et arma honestarunt; reverentiam ille terrore, alias a morem humilitate captavit, ille quasitam domi gloriam in publico, hic in publico partam domi perdidit; postremo adhuc nemo exstilit, cuius virtutes nullo vitiorum confinio laederentur. At Principi nostro quanta concordia, quantusque conceptus omnium laudum, omnisque gloriæ contigit! ut nihil severitati ejus hilaritate, nihil gravitati simplicitate, nihil majestati humanitate detrahitur! Jam firmitas, jam proceritas corporis, jam honor capititis, et dignitas oris, ad hoc ætatis indeflexa maturitas, nec sine quodam munere Deum festinatis senectutis insignibus ad augendam majestatem ornata cæsaries, nonne longe, lateque Principem ostentant? Super omnia est tamen, quæ talis es, ut sub te liberos tollere libeat, expediat.

### CXII.

### Ex Maximiani Genethliaco a Mamertino dicto.

Neque enim illud progressio fuit, nec itineris confectio, nec solitis adminiculis usa properatio, quod simili concitu eques, aut

velivola navis: divinus quidam impetus fuit, quo repente in eumdem locum ab utroque solis adverso fine venistis. Ipsos siquidem, quos præmisseratis, nuntios reliquistis, ipsam, quæ vos cognata est prævenire, famam prævertistis: ut absque paucissimis, qui vobis comites hærere potuerunt, caeteri homines fortasse crediderint, quod ita dignum et majestate vestra, diurna vobis et nocturna curricula, ultraque mundi lumina commodasse. Sed removeamus istinc fabulas imperitorum: verum loquamur. Vestra vobis pietas, sacer imperator, volucres dedit cursus: etenim cum nihil sit animo velocius, vos, quorum igneæ immortalesque mentes minime sentiunt corporis moras, pervecti estis ad nos mutui desiderii celeritate. Sed qua tandem vice temporum? quo tempestatis habitu? nempe hyeme saevissima, et in his quoque regionibus iuositata, quum algor glacies, glacies nivem premerent, coelo pariter ac terris uniformibus, quum ipsi anhelitus hominum circa sua ora concreti rigore canescerent. Adeo, ut res est, adversus inclem tam locorum ac siderum vestræ vos majestatis potentia tuebatur, et cæteris hominibus atque regionibus vi frigorum adstrictis et oppressis, vos solos auræ lenes vernique flatus, et deductis nubibus, ad itinera vestra directi solis radii sequebantur.

### **Ex Eumenii pro scholis instaurandis oratione.**

Satis verborum fecisse arbitror, vir perfectissime, de eo quod mihi ad dicendum prius constitueram, quam sit ex usu atque officio instaurari opus illud, studiis, quibus optimi principes maxime favent, dedicatum, in ipsa civitatis fronte positum, celeberrimis templis utrinque conjunctum: nunc in secundum eumdemque locum distuli, quemadmodum id sine sumptu publico et cum laude sacræ largitionis fieri possit, ostendam. Salarium me liberalissimi principes ex hujus reipublicæ viribus in sexcentis millibus nummum accipere jusserunt: non quoniam non amplius tribuere commodis meis vellent, in quem multo majora et prius quod postea præmia contulerunt, sed ut tercenta illa sextertia, quæ sacrae memorie magister acceperam, in honore privati hujus magisterii addita pari sorte geminarent. Hoc ego salarium, quantum ad honorem pertinet, adoratum accipio, et in accepti ratione perscribo: sed expensum referre patriæ cupio, et ad restitutionem hujus operis, quoad usus poposcerit, des-

tinare. Neque enim ipsius epistolæ saeræ commemorationem solam sine obsequio recitationis inducere fas est, ut perfecta magis eluceat, quantum me studium par sit impendere non ipsis modo litteris, sed etiam et templis ac sedibus literarum.

(Epistola imperatoris.)

Merentur et Galli nostri, ut eorum liberis, quorum vita in augusto Cliviensium oppido ingenuis artibus eruditur, et ipsi adolescentes, qui hilari consensu meum Constantii Cæsar is ex Italia revertentis suscepere comitatum, ut eorum indoli consulere cupiamus. Proinde quod aliud præmium his quam illud conferre debemus, quod nec dare potest, nec eripere fortuna? Unde auditorio huic, quod videtur interitu præceptoris orbatum, te vel potissimum præficere debuimus, cuius eloquentiam et gravitatem morum et actus nostri habemus administratione compertam. Salvo igitur privilegio dignitatis tuæ, hortamur ut professionem oratoriam recepes, atque in supradicta civitate, quam non ignoras, nos ad pristinam gloriam reformare, ad vitæ melioris studium adolescentium excolas mentes. Nec putes hoc munere ante partis aliquot tuis honoribus derogari: quum honesta professio ornet potius omnem, quam destruat dignitatem. Denique etiam salarium te sexcentis millibus nummum ex reipublicæ viribus consequi volumus, ut intelligas meritis tuis nostram constituere clementiam. Vale Eumeni charissime nobis.

### Ex Nazarii Constantino dicta oratione.

Prætermittam hoc loco, Constantine maxime, disponendi militis tui miram incredibilemque rationem: hoc enim persequi vellem, quem tenuisset locum cœlestis exercitus, dicam: quamquam non illos arbitrer stetisse nisi tecum: difficillimam enim pugnæ partem tibi deligis, et tamquam pro fortunæ gradu modus virtutum debeatur, ita inter duos non vis principatu excellere quam labore. Cumulatissimum quidem munus principis est, si manus etiam casset, non cessasse consilio: sed tu non segnior gerere quam jubere, simul exercitus tuos monito regis, opere juvas, incendis exemplo. Quod hic etiam facis promptius quam in cæteris præliis, quod in præsenti erat tam ampla pugnæ merces, quam pugnator illustris, et statim Roma victoris. Cujus rei quum imaginem cepi, dicturus horresco, invadis primus aciem, solus irrumpis, obumbrant euntem telorum irriti

jactus, sonat ictibus umbo, securus ab his, quos, quum trabalis hasta dejecit, insultans ferus proterit; fulget nobilis galea, et corusca luce gemmarum divinum verticem monstrat, auro clypeus, auro arma collucent. O quantam vim possides, virtus, quæ in hoc habitu plus terroris præferas, quam decoris!

### **Ex Latini Pacati Panegyrico Theodosio dicto.**

Sed tamen, imperator, exiguum sensibus tuis injunge patientiam. Nam si dulcis in bonis miseriarum recordatio est, si nautas tempestatum, si medicos juvat meminisse morborum, cur non tu quoque mala nostra audias, ut tua beneficia recognoscas? Unde igitur ordiar, nisi a tuis, mea Gallia, malis? quæ ex omnibus terris, quas illa pestis incedebat, haud injuria tibi vendicas privilegium miseriarum, non auribus modo, quarum sensus est levior, sed coram oculis ferre compulsa victoriam Maximi, interitum Gratiani: alia licet vulnera, quod fatendum est, proximus nobis Italus, contiguus ostendat Hispanus: sed in dolore suo habet suum uterque solatium, tyrannidem ille non vidit: hic tyrannicidium vidit. Nos primi impetum bellæ furentis exceptimus: nos sævitiam ejus innocentium sanguine, nos cupiditatem publica pauperate satiavimus. Apud nos semel exercuit crudelitas jam secura, et adhuc inops avaritia: alibi malum publicum aut cœpit, aut destitit, in Gallia sedit. Quis se nobis calamitate contulerit? Tyrannum et cum aliis tulimus, et soli: Quid ego referam vacuatas fugitivis nobilibus solitudines? Quid perfunctorum honoribus summis virorum bona publicata? capita diminuta? vitam ære taxatam?

---

### **XCIV.**

### **Ex Apuleii asin. aur. lib. IV.**

Erant in quadam civitate rex et regina, hi tres numero filias, forma conspicuas, habuere. Sed majores quidem natu, quamvis gravissima specie, idoneæ tamen celebrari posse laudibus humanis credebantur. At vero puellæ junioris tam præcipua, tam

præclara pulchritudo nec exprimi, ac ne sufficienter quidem laudari sermonis humani penuria poterat. Multi denique civium et advenæ copiosi, quos eximii spectaculi rumor studiosa celebritate congregabat, inaccessæ formositatis admiratione stupidi et admoventes oribus suis dexteram, priore digito in erectum pollicem residente, ut ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur.

<sup>sup</sup> Hæc honorum cœlestium ad puellæ mortalis cultum immo-  
dica translatio veræ Veneris vehementes incendit animos: et im-  
patiens indignationis, capite quassanti fremens altius, sic secum  
disserrit. En rerum natura prisca parens, en elementorum ori-  
go initialis, en orbis totius alma parens, quæ cum mortali puel-  
la partiario majestatis honore tractor, et nomen cœlo conditum  
terrenis sordibus profanatur. Sed non adeo gaudens ista, quæ-  
cumque est, meos honores usurpavit. Jam faxo, hujus etiam ipsius  
illicitæ formositatis pœniteat. Et vocat confestim puerum suum,  
pennatum illum et satis temerarium. Perducit ad illam civita-  
tem, et Psychen, hoc enim nomine puella nuncupatur, coram  
ostendit. Interea Psyche, cum sua sibi perspicua pulchritudine  
nullum decoris sui fructum percipit. Spectatur ab omnibus, lau-  
datur ab omnibus: nec quisquam, non rex, non ergius, nec de-  
plebe saltem, cupiens ejus nuptiarum petitior accedit.

Sed Apollo, quanquam græcus et jonus, propter Milesiæ  
conditorem, sic latina sorte respondit:

Montis in excelsi scopulo desiste puellam,  
Nec speres generum mortali stirpe creatum,  
Sed sœvum atque ferum, vipereumque malum,  
Quem tremit ipse Jovis, quo numina terrificantur.

Et miseri quidem parentes ejus tanta clade defessi, clause  
domus abstrusi tenebris, perpetuæ nocti sese dedidere. Psychen  
autem paventem ac trepidam, et in ipso scopuli vertice deflen-  
tem, mitis aura molliter aspirantis Zephyri, vibratis hinc inde  
laciinis, et reflato sinu sensim levatam, suo tranquillo spiritu  
vehens, paulatim per devexa excelsæ vallis subditæ, florentis  
cespitis gremio leniter delapsam reclinat.

### Ex libro V.

Psyche teneris et herbosis locis, in ipso toro roscidi grami-

nis, suave recubans, tanta mentis perturbatione sedata conquiet. Jamque sufficienti recreata somno, placidiore surgit animo. Videt lucum proceris et vastis arboribus consitum: videt fontem vitreo latice placidum, medio luci meditullio; prope fontis ad lapsum domus regia est aedificata non humanis, sed divinis manibus ac artibus. Jam scies ab introitu primo, Dei cujuspam luculentum et amoenum videre te diversorium. Jam cæteræ partes longe lateque dispositæ domus, sine pretio pretiosæ, totique parietes solidati massis aureis, splendore proprio coruscant, ut diem suum sibi domus faciat, licet sole nolente: sic cubicula, sic porticus, sic ipsæ valvæ fulgurant. Hic ei summa cum voluptate visenti offert sese vox quædam corporis sui nuda: Et quid, inquit, domina tantis obstupescis opibus? tua sunt hic omnia.

At Psyche relicta sola, festinat, differt, audet, trepidat, diffidit, irascitur: et quod est ultimum, in eodem corpore odit bestiam, diligit maritum. Sed cum primum luminis oblatione tori secreta claruerunt, videt omnium ferarum milissimam dulcissimamque bestiam, ipsum illum Cupidinem formosum, Deum formose cubantem. Sic ignara Psyche, sponte in Amoris incidit amorem. Sed lucerna illa evomuit de summa luminis sui stillam ferventis olei super humerum dei dextrum. Sic inustus exiluit Deus, visaque detectæ fidei colluvie, prorsus ex oculis et manibus infelicissimæ conjugis tacitus avolavit.

### Ex T. Petronii Arbitri Satirico.

Num alio genere furiarum declamatores inquietantur, qui clamant? Hæc vulnera pro libertate publica excepti, hunc oculum pro vobis impendi: date mihi ducem, qui me ducat ad liberos meos, nam succisi poplites membra non sustinent. Hæc ipsa tolerabilia essent, si ad eloquentiam ituris viam facerent: nunc et rerum tumore, et sententiarum yanissimo strepitu, hoc tantum proficiunt, ut quum in forum venerint, putent se in allium terrarum orbem delatos. Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis, quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident.

Pace vestra liceat dixisse, primi omnium eloquentiam perdidistis. Levibus enim atque inanibus sonis ludibria quædam excitando effecistis, ut corpus orationis enervaretur.

Sed sive armigeræ rident Tritonidis arces,  
 Seu Lacedæmonio tellus habitata colono,  
 Sirenumque domus, det primos versibus annos,  
 Mæoniumque bibat felici pectore fontem;  
 Mox et Socratico plenus grege, mutet habenas  
 Liber, et ingentis quatiat Demosthenis arma.  
 Hinc romana manus circumfluat, et modo Grajo  
 Exonerata sono mutet suffusa saporem:  
 Interdum subducta foro det pagina cursum,  
 Et fortuna sonet celeri discincta meatu.  
 Dent epulas, et bella truci memorata canore:  
 Grandiaque indomiti Ciceronis verba minetur.  
 His animum succinge bonis. Sic flumine largo  
 Plenus, Pierio defundes pectore verba.

Cæterum neque generosior spiritus vanitatem amat, neque concipere, aut edere partum mens potest, nisi ingenti flumine literarum inundata. Effugiendum est ab omni verborum, ut ita dicam, vilitate; et sumenda voces a plebe submotæ, ut fiat; *Odi profanum vulgus et arceo*. Ecce belli civilis ingens opus quisquis attigerit, nisi plenus literis, sub onere labetur. Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius historici faciunt; sed per ambages, deorumque ministeria, et fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus; ut potius furentis animi vaticinatio adpareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides.

---

## XCVI.

### Ex Tertulliani Apologetico cap. XXXIX.

---

Cœna nostra de nomine rationem sui ostendit, vocatur *agape*, id quod dilectio penes græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum.

Nihil vilitatis, nihil immodestiae admittit; non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: editur quantum esurientes capiunt: bibitur quantum pudicis est utile: ita saturan-

tur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum deum sibi esse. Ita fabulantur, ut qui sciunt dominum audire. Post aquam manualem, et lumina, ut quisque de scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit: inde disceditur non in cavernas cæsionum, neque in classes discursionum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eamdem curam modestiæ et pudicitiæ; ut qui non tam coenam cœnaverint quam disciplinam. Hæc coitio Christianorum merito sane illicita, si illicitis par; merito damnanda, si non dissimilis damnandis; si quis de ea queritur, eo titulo, quo de factionibus quærela est. In cujus perniciem aliquando convenimus? hoc sumus congregati, quod et dispersi: hoc universi, quod et singuli; neminem lædentes, neminem contristantes.

### Ex lib. de Spectaculis cap. XXIX.

Cur tam ingratus es, ut tot, et tales voluptates a Deo contributas tibi satis non habeas, neque recognoscas? Quid enim jucundius, quam Dei patris et domini reconciliatio, quam veritatis revelatio, quam errorum recognitio, quam tantorum retro eriminum venia? Quæ major voluptas, quam fastidium ipsius voluptatis? quam sæculi totius contemptus? quam vera libertas? quam conscientia integra? quam vita sufficiens? quam mortis timor nullus? Quod calcas deos Nationum? quod dæmonia expellis? Quod medicinas facis? quod revelationes petis? quod Deo vivis? Hæc voluptates, hæc spectacula Christianorum, sancta, perpetua, gratuita: in his tibi circenses ludos interpretare, cursus sæculi intuere, tempora labentia, spatia dinumera, metas consummationis exspecta, societas ecclesiarum defende, ad signum Dei suscitare, ad tubam angeli erigere, ad martyrum palmas gloriare. Si scientiæ, doctrinæ delectant, satis nobis litterarum est, satis versuum est, satis sententiarum, satis etiam cantorum, satis vocum; nec fabulæ, sed veritates; nec strophæ, sed simplicitates. Vis et pugilatus et luctatus? præsto sunt non pauca simul. Aspice impudicitiam dejectam a castitate, perfidiam cæsam a fide, sævitiam a misericordia contusam, petulantiam a modestia adumbratam: et tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur. Vis autem et sanguinis aliquid? habes Christi.

## Ex Minucii Felicis Octavio.

Quid? cum ordo temporum ac frugum stabili varietate distinguitur, nonne auctorem suum, parentemque testatur? Ver æque cum suis floribus, et æstas cum suis messibus, et autumni maturitas grata, et hiberna olivitas necessaria: qui ordo facile turbaretur, nisi maxima ratione consisteret. Jam providentia quantæ, ne hyems sola glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumni et veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis occulti et innoxii transitus labentur. Mari intende, lege litoris stringitur; quidquid arborum est, vide, quam e terræ visceribus animatur. Aspice oceanum, refluit reciprocis æstibus: vide fontes, manant venis perennibus; fluvios intuere, erunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar apte disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum? quidve animantium loquar adversus sese tutelam multiformem? alias armatas cornibus, alias dentibus septis, et fundatas unguis, et spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pinnarum. Ipsa præcipue formæ nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem: status rigidus, vultus erectus, oculi in summo, velut in specula constituti, et omnes cæteri sensus velut in arce compositi. Longum est ire per singula; nihil in homine membrorum est, quod non et necessitatis causa sit, et decoris: et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam unicuique lineamenta deflexa; sic et similes universi videmur, et inter se singuli dissimiles invenimur. Nec universitati solummodo Deus, sed et partibus consulit.

## Ex Arnobii adversus gentes lib. I.

Mundus iste in quo degitis, cuius est? aut quis ejus vobis attribuit fructum possessionemque retinere? Quis, ut subjectas res cernere, ut contrectare, ut considerare possetis, publicum istud lumen dedit? Quis, ne fixa pigritiæ stupore torpescerent elementa vitalia, solis igneis constituit ad rerum incrementa futuros? Solem deum esse cum credatis, conditorem ejus, opificemque non queritis? Luna cum apud vos Dea sit, non similiter scire curatis, genitor ejus et fabricator quis sit?

Apollo vobis pluit? Mercurius vobis pluit? Aesculapius, Her-

culles, aut Diana rationem imbrum, tempestatumque finxerunt? Et hoc fieri qui potest, cum in mundo profiteamini eos natos, certoque tempore sensum arripuisse vitalem? Si enim temporis antiquitate mundus eos antevenit, et priusquam nati sunt, jam noverat pluvias tempestatesque natura, nullum serius nati pluendi jus habent, neque eis inserere rationibus se possunt, quas invenerunt hic agi, et majore ab auctore tractari. O maxime, o summe rerum invisibilium procreator! O ipse invise, et nullis unquam comprehense natura! Dignus est vere, si modo te dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis, intelligensque natura, et habere, et agere nunquam desinat gratias: cui tota conveniat vita genu nixo procumbere, et continuatis precibus supplicare.

## XCVIII.

### Ex D. Cypriani epist. II, quæ dicitur liber ad Donatum.



Ergo cum tenebris atque in nocte cæca jacerem, cumque in salo jactantis sæculi nutabundus ac dubius vestigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ nescius, veritatis ac lucis alienus; difficile prorsus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in salutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut quis renasci de-nuo posset; utque in novam vitam lavacro aquæ salutaris animatus, quod prius fuerat, exponeret; corporis licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Quis possibile, ajebam, est tanta conversio; ut repente ac perniciter exuatur, quod vel genuinum situ materiae naturalis obduruit, vel usurpatum diu senio vetustatis inolevit? alta hæc et profunda penitus radice sederunt.

Sed postquam undæ genitalis auxilio superioris ævi labie de-tersa, in expiatum pectus ac purum, desuper se lumen infudit, postquam cœlitus spiritu hausto in novum me hominem nativitas secunda reparavit; mirum in modum protinus confirmare se dubia, patere clausa, lucere tenebrosa; facultatem dare, quod prius difficile videbatur; geri posse, quod impossibile putabatur,

ut esset agnoscere terrenum suis, quod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; Dei esse cœpisse, quod jam spiritus sanctus animaret.

### Ex lib. de Idolorum vanitate.

Cæterum si ad originem redeas, erubescas. Est et gradus summus in romanis honoribus consulatus: sic consulatum cœpisse videmus ut regnum. Filios interfecit Brutus, ut crescat de suffragio sceleris commendatio dignitatis. Non ergo de religiōnibus sanctis, nec de auspiciis, aut auguriis romana regna creverunt, sed acceptum tempus certo fine custodiunt. Cæterum et Regulus auspicia servavit, et captus est: et Mancinus religionem tenuit, et sub jugum missus est. Et pullos edaces Paulus habuit, et apud Cannas tamen cæsus est. G. Cæsar ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis et auspiciis retinentibus; sprevit, et eo facilius navigavit et vicit. Horum autem omnium ratio est illa, quæ fallit et decipit, et præstigiis cœcantibus veritatem, stultum et prodigum vulgus inducit.

### Ex L. Cælii Lactantii lib. VI cap. III.

Duae sunt viæ, Constantine imperator, per quas humanam vitam progredi necesse est; una, quæ in cœlum ferat; altera, quæ ad inferos deprimat, quas et poetæ in carminibus, et Philosophi in disputationibus suis induxeront. Et quidem Philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum; eamque quæ sit assignata virtutibus, primo aditu esse et arduam, et confragosam; in qua, si quis difficultate superata, in summum ejus evaserit, habere eum de cætero planum iter, lucidum amœnumque campum, et omnes laborum suorum capere fructus uberes, atque jucundos.

Quos autem primi aditus difficultas deteruerit, eos in eam vitiorum viam labi, atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna, multoque tritior: deinde cum in eam paulo ulterius processerint, amœnitatis ejus speciem repente subdue: exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam, vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere sit necesse.

Dicunt enim humanæ vitæ cursum, Y litteræ esse similem

quod unusquisque hominum, cum primum adolescentiae limen attigerit, et in eum locum venerit, parteis ubi se via findit in ambas, hæreat nutabundus, ac nesciat, in quam se partem potius inclinet.

Ad corpus ergo, et ad hanc vitam, quam in terra ducimus, fines earum viarum retulerunt. Poetæ fortasse melius, qui hoc bivium apud inferos esse voluerunt. Sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis proposuerunt. Utrique ergo vere, sed tamen utriusque non recte, quia oportuit, vias ipsas ad vitam, fines earum ad mortem inferri. Nos igitur melius et verius, qui duas istas vias, cœli et inferorum esse dicimus, quia justis immortalitas, injustis pœna æterna proposita est.

Describam igitur utramque, et earum proprietates, habitusque monstrabo.

Una est itaque virtutis, ac bonorum via, quæ fert non in Elysios campos, ut poetæ loquuntur, sed ad ipsam mundi arcem.

At lœva, malorum

Exercet pœnas, et ad impia Tartara mittit.

### Ex J. Firmici Materni de errore profanarum religionum lib. cap. VIII.

Si convocato omni genere humano Sol habita concione loqueretur, desperationem vestram hac forsitan oratione percutebat: Quis vos, caduci homines et per dies singulos summo Deo variis generibus rebellantes, ad hoc tantum facinus impegit, ut profano nefariæ cupiditatis errore et mori me dicatis vestro arbitrio et vivere? Atque utinam usitato more vel uno genere vesanæ cogitationis vestræ figmenta procederent. Utinam sine contumelia mei sceleratae cogitationis vestræ grassaretur improbitas. Nunc vosmet per præcipitia jactantes, mihi quoque non paratis, nec aliquam habet vester sermo reverentiam, sed cum decoro meo in exitium vestrum, mortemque properatis. Alii me apud Aegyptum undis Nili et rapidis vorticibus obstinato mentis furore sumergunt. Alii amputatis virilibus plangunt. Alii crudeli morte cæsum, aut in olla decoquunt, aut septem verubus corporis mei membra lacerata subfigunt. Qui paululum mihi placida fuerit oratione blanditus, quadrijugi currus aurigam me

esse confingit. Projicite aliquando tanti furoris exitium, et salutari persuasione convicti, veram salutis viam querite.

## C.

**Ex S. Hilarii episcopi Pictaviensis****lib. I. de Trinitate.**

Festinabat autem animus, non haec tantummodo agere, quæ non egisse, et criminum esset plenum, et dolorum: sed hunc tanti muneris Deum parentemque cognoscere, cui se totum ipse deberet, cui famulans nobilitandum se existimabat, ad quem omnem spei suæ opinionem referret, in cujus bonitate inter tantas præsentium negotiorum calamitates, tamquam tulissimo sibi portu familiarique requiesceret.

Ad hunc igitur vel intelligentendum, vel cognoscendum, studio flagrantissimo animus accendebat. Atque ita pulcherrimus Deus est confitendus: ut neque intra sententiam sit intelligendi, neque extra intelligentiam sentiendi.

His itaque piaæ opinionis atque doctrinæ studiis animus imbutus, in secessu quodam ac specula pulcherrimæ hujus sententiae requiescebat, non sibi relictum quidquam aliud a natura sua intelligens, in quo majus officium præstare Conditori suo minusve posset, quam ut *tantum eum esse* intelligeret, quantus et intelligi non potest, et potest credi: dum intelligentiam et fidem sibi necessariæ religionis assumit, et infinitas æternæ potestatis excedit.

**Ex libro contra Constantium.**

Tempus est loquendi: quia jam præteriit tempus tacendi. Christus exspectetur: quia obtinuit antichristus. Clament pastores: quia mercenarii fugerunt. Ponamus animas pro ovibus; quia fures introierunt, et leo sæviens circuit. Ad martyrium per has voces exeamus: quia angelus Satanæ transfiguravit se in angelum lucis. Intremus per januam: quia nemo vadit ad Patrem nisi per filium. Manifestentur in pace sua pseudo-

prophetae: quia in haeresi et schismate manifestabuntur probati, Sustineatur tribulatio, qualis non fuit a constitutione mundi; sed intelligantur breviandi dies propter electos Dei. Stemus ante judices et potestates pro Christi nomine: quia beatus est, qui usque in finem perseveraverit. Num. I.

Proclamo tibi, Constanti, quod Neroni locuturus fuisset; quod ex me Decius et Maximianus audirent. Contra Deum pugnas, contra Ecclesiam saevis, sanctos persequeris, predicatores Christi odis, religionem tollis, tyrannus non jam humanorum, sed divinorum es. Haec tibi a me atque illis sociis atque communia sunt: at vero nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es; antichristum prævenis, et arcanaorum mysteria ejus operaris. Condis fidem, contra fidem vivens. Doctor profanorum es, indoctus piorum. Episcopatus tuis donas, homines malis demutas: sacerdotes custodiæ mandas, exercitus tuos ad terrorem ecclesiæ disponis. Nüm. VII.

## Ex S. Ambrosii de Jacob et vita beata lib. II.

Talis haec pugna est: ille gloriösius vicerit, qui crudelius occissus fuerit. Itaque nemo timuit, nemo trepidavit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigror fuit, sed omnes tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba supplicia cucurrent; et mater consona cernens filiorum agmina, tanquam pia anima, sui membra corporis in filiis offerebat, et per artus proprios videbatur sibi votiva subire tormenta. Cadebant filii tormentis exulcerati, mortui super mortuos advolvebantur, corpora super corpora volutabantur, capita super capita execabantur. Reperfertus erat locus cadaveribus filiorum, non flevit mater, non lamentata est, non oculos cujusquam pressit, aut ora morientis clausit, non lavit vulvera, sciens gloriösiores esse, si eviscerati et concreti pariter pulvere et sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, quales solent trophyæ ex hostibus reportare. Non superjacienda velamina, non prosequendas exequias, nisi suæ quoque comitatu mortis arbitrata est. Quæ cithara dulciores ederet cantus, quam morientes filii in tam gravibus suppliciis ediderunt? Erompebat enim naturæ gemitus, etiam invitit. Spectares per ordinem peremptorum cadavera, sicut fila chordarum, audires heptacordum psalterium triumphalibus gemitibus resultare. Non sic illecebrosi illi, ut ajunt, cantus Sire-

narum adtraherent audientem: illi enim ad naufragium trahebant, isti ad sacrificii victoriam. Nec sic cygnea carmina aures animumque mulcerent; cygni enim naturæ sorte moriuntur, isti moriebantur amore pietatis.

O vera mater adamante fortior, melle dulcior, flore flagrantiō! O indissolubile pietatis vinculum! O vere valida caritas sicut mors, durus sicut inferi zelus devotionis ac fidei. Cap. XII.

### Ex lib. III. de Virginibus cap. VI.

Quis non cum e convivio ad carcerem cursare videret, putaret prophetam jussum esse dimitti? Quis, inquam, cum audisset natalem esse Herodis, solemne convivium, puellæ optionem eligendi, quod vellet, datam, missum ad Johannis absolutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum deliciis? Quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam propheta convivali tempore, convivali præcepto, quo non cuperet vel absolviri: perimitur gladio, caput ejus adfertur in disco. Hoe crudelitati ferulum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur.

Intuere, rex acerbissime, tuo spēctacula digna convivio. Porrigere dexteram, ne quid sœvitiae tuæ desit; ut inter digitos tuos rivi defluant sancti crux. Et quoniam non exsaturari epulis fames, non restungui poculis potuit inauditæ sœvitiae sitis; bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitibz proflorentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriæ. Os aureum illud exsangue, cuius sententiam ferre non poteras, conticescit, et adhuc times. Lingua tamen, quæ solet etiam post mortem officium servare viventis, palpitanti licet motu, damnabat incestum. Portatur hoc caput ad Herodiadem: lætatur, exultat, quasi crimen evaserit; quia judicem trucidavit.

### CHI.

### Ex S. Hieronimi epit. XIV. ad Heliodorum.

Sed quoniam e scopulosis locis enavigavit oratio, et inter ca-

vas spumeis fluctibus cautes, fragilis in altum cymba processit,  
expandenda vela sunt ventis, et quæstionum scopulis transvadatis,  
ketantium more nautarum, epilogi celeuma cantandum est.  
O desertum, Christi floribus vernans ! O solitudo, in qua illi  
nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni regis  
exstruitur ! O Eremus familiarius Deo gaudens ! Quid agis, fra-  
ter, in sæculo, qui major es mundo ? Quamdiu te tectorum um-  
bræ premunt ? Quamdiu fumosarum urbium carcer includit ?  
Crede mihi, nescio quid plus lucis aspicio. Libet, sarcina corpo-  
ris abjecta, ad purum ætheris evolare fulgorem. Paupertatem  
times ? Sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terroris ?  
At nemo athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas ? Sed  
fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa je-  
juniis membra collidere ? Sed Dominus tecum jacet. Veniet, ve-  
niat illa dies, qua corruptivum hoc et mortale incorruptionem in-  
duat et immortalitatem.

### Ex epist. XXXIX. ad Paulam de obitu Blæ- sillæ filiae.



*Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacry-  
marum, et plorabo: non, ut Jeremias ait, vulneratos populi mei;  
nec ut Jesus miseriam Jerusalem: sed plorabo sanctitatem, mi-  
sericordiam, innocentiam, castitatem; plorabo omnes pariter in-  
unius morte defecisse virtutes. Non quod lugenda sit illa, quæ  
abiit, sed quod nobis impatientius sit dolendum, quod tales vi-  
dere desivimus. Quis enim siccis oculis recordetur, viginti anno-  
rum adolescentulam tam ardenti fide crucis levasse vexillum ?  
Quis sine singultibus transeat orandi instantiam, nitorem linguæ,  
memoriae tenacitatem, acumen ingenii ?*

Matris prohibituri lacrymas, ipsi plangimus. Confiteor affec-  
tus meos: totus hic liber fletibus scribitur. Flevit et Jesus La-  
zarus, quia amabat illum. Non est optimus consolator, quem  
proprii vincunt gemitus, cuius visceribus emollitis, fracta in la-  
crys verbâ desudant. Testor, mi Paula, Jesum, quem Blæsil-  
la nunc sequitur: testor Sanctos Angelos, quorum consortio frui-  
tur, eadem me dolorum perpeti tormenta, quæ pateris: patrem  
esse spiritu, nutritum caritate, et interdum dicere: *Pereat dies  
illa, in qua natus sum.* Quare senes impi, sæculi divitiis per-

fruuntur? quare adolescentia rudis, et sine peccato pueritia immaturo flore metitur? Bonus est Deus, et omnia quæ bonus facit, bona sint necesse est. Mariti orbitas irrogatur, plango quod accidit. Sed quia sic placet Domino, æquo animo sustinebo. Unicus raptus est filius; durum quidem, sed tolerabile, quia sustulit ille, qui dederat.

### Ex epist. CIX. ad Riparium Presbiterum.

Acceptis primum literis tuis, non respondere superbiae est: respondere, temeritatis. De iis enim rebus interrogas, quæ et proferre, et audire sacrilegium est. Ais Vigilantium, qui per antiphrasim hoc vocatur nomine, nam Dormitantius recte diceretur, os foetidum rursus aperire et putorem spurcissimum contra sanctorum Martyrum proferre reliquias: O præcidendam linguam a medicis, immo insanum curandum caput; ut qui loqui nescit, discat aliquando reticere. Ego, ego vidi hoc aliquando portentum, et testimonii scripturarum, quasi vineulis Hippocratis, volui ligare furiosum: sed abiit, excessit, evasit, erupit; et inter Adriæ fluctus Cotiique regis Alpes, in nos declamando clamavit. Quidquid enim amens loquitur, vociferatio et clamor est appellandus. Tacita me forsitan cogitatione reprehendas, cur in absentem invechar. Fatebor tibi dolorem meum. Sacrilegium tantum patienter audire non possum. Legi enim seiromastem (1) Phinees, austерitatem Eliae, zelum Simonis Chanonæi, Petri sevritatem Ananiam et Saphiram trucidantis, Paulique constantiam, qui Elimmam magum viis domini resistentem, æterna cætitate damnavit. Non est crudelitas pro Deo pietas.

### Ex epist. CXXV. ad Rusticum.

Dum essem juvenis, et solitudinis me deserta vallarent, incen-tiva vitorum ardoremque naturæ ferre non poteram; quem cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus aestuabat. Ad quam edemandam, cuidam fratri, qui ex hæbreis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis et lenitatem Plinii, al-

(1) Lanceam seu pugionem.

phabetum discerem, et stridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris insumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quotiesque cessaverim, et contentione discendi rursus incœperim, testis est conscientia, tam mea, qui passus sum, quam eorum, qui mecum duxerunt vitam. Et gratias ago Domino, quod de amaro semine litterarum, dulces fructus carpo.

### Ex libro contra Vigilantium.

Multa in orbe monstra generata sunt. Centauros et sirenas, ululas et onocrotalos in Isaia legimus. Job leviathan et Behemoth mystico sermone describit. Cerberum et Stymphalidas, aprumque Erimanthium, et leonem Nemæum, chimæram atque Hydram multorum capitum narrant fabulæ poetarum. Cacum describit Virgilius. Triformem Geryonem Hispaniæ prodiderunt. Sola Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortibus et eloquentissimis abundavit. Exortus est subito Vigilantius, seu verius Dормitantius, qui immundo spiritu pugnet contra Christi spiritum, et Martyrum neget sepulchra veneranda, damnandas dicat esse vigilius, nusquam nisi in Pascha Alleluja cantandum, continentiam, hæresim, pudicitiam, libidinis seminarium.

Cur, inquieris, pergis ad eremum? videlicet, ut te non auidam, non videam: ut tuo furore non movear; ut tua bella non patiar: ne me capiat oculus meretricis; ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Respondebis: hoc non est pugnare, sed fugere. Sta in acie, adversariis armatus obsistes, ut postquam viceris, coroneris. Fateor, imbecillitatem meam. Nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam aliquando victoram. Si fugero, gladium devitavi: si stetero, aut vincendum mihi est, aut cadendum. Quid autem necesse est certa dimittere, et incerta sectari? Aut scuto, aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas, et superari potes et vincere. Ego cum fugio, non vinco in eo, quod fugio: sed ideo fugio, ne vincar. Nulla securitas est vicino serpente dormire. Potest fieri, ut me non mordeat; tamen potest fieri, ut aliquando me mordeat.

Hæc, ut dixi, sanctorum Presbyterorum rogatu, unius noctis lucubratione dictavi &.

## Ex S. Augustini Retractationum lib. II. cap. VI

Confessionum mearum libri XIII et de malis, et de bonis meis Deum laudant justum et bonum, atque in eum excitant humanum intellectum et affectum; interim quod ad me attinet, hoc in me egerunt, cum scriberentur, et agent, cum leguntur. Quid de illis alii sentiant, ipsi viderint, multis tamen fratribus eos multum placuisse et placere scio. A primo usque ad decimum de me scripti sunt. In tribus cæteris de scripturis sanctis, ab eo quod scriptum est; in principio fecit Deus cœlum et terram, usque ad sabbati requiem. In quarto libro cum de amici morte animi mei miseriam confiterer, dicens quod anima nostra una quodammodo facta fuerat ex duabus; et ideo, inquam, forte mori metuebam, ne totus ille moreretur, quem multum amaveram: quæ mihi quasi declamatio levis quam gravis confessio videtur, quamvis utcumque temperata sit hæc ineptia in eo quod additum est, forte. Et in libro XIII quod dixi, firmamentum factum inter spiritales aquas superiores, et corporales inferiores, non satis considerate dictum est: res autem in abdito est valde. Hoc opus sic incipit. Magnus es, Domine.

## Ex Confessionum lib. I c. I.

Magnus es domine, et laudabilis valde, magna virtus tua, et sapientia tua non est numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuae; et homo circumferens mortalitatem suam, circumferens testimonium peccati sui, et testimonium, quia superbis resistis, et tamen laudare te vult homo portio creaturæ tuae. Tu excitas, ut laudare te delectet. Quia fecisti nos ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Da mihi, Domine, scire et intelligere, utrum sit prius invocare te, an laudare te; et scire te prius, an invocare te. Sed quis te invocat, nesciens te? Aliud enim pro alio potest invocare nesciens te. An potius invocaris, ut sciaris? Quomodo autem invocabunt, in quem noui crediderunt?

## Ex lib. II. cap. I.

Recordari volo transactas fœditates meas, et carnales corruptiones animæ meæ: non quod eas amem: sed ut amem te, Deus meus. Amore amoris tui facio istud, recolens vias meas nequissimas, in amaritudine recognitatis meæ: ut tu dulcescas mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix et secura: et colligens me a dispersione, in qua frustalim discussus sum, dum ab uno te aversus, in nulla evanui. Exarsi enim aliquando satiari in inferis, in adolescentia; et silvescere ausus sum variis et umbrosis amoribus: et contabuit species mea et computrui coram oculis tuis placens mihi, et placere cupiens oculis hominum.

## Ex libro VIII.



Tum in illa grandi rixa interioris domus meæ, quam fortiter excitaveram cum anima mea, in cubiculo nostro corde meo, tam vultu, quam mente turbatus, invado Alipium et exclamo: Quid patimur? Quid est hoc? Quid audisti? surgunt indocti, et cœlum rapiunt; et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine! An quia praecesserunt, pudet sequi, et non pudet nec saltem sequi? Dixi nescio quæ talia. cap. VIII.

Ubi vero a fundo arcano alta consideratio contraxit, et con-  
gessit totam miseriam meam in conspectum cordis mei, oborta est  
procella ingens, ferens ingentem imbrex lacrymarum. Et ut  
totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alipio. Solitudo  
enim mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur. Ego sub qua-  
dam fici arbore stravi me, nescio quomodo: et dimisi habenas la-  
crymis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile  
sacrificium tuum. Et non quidem his verbis, sed in hac senten-  
tia multa dixi tibi: et tu, domine, usquequo? Usquequo, domine,  
irasperis in finem? Ne memor fueris iniquitatum nostrarum anti-  
quarum. Sentiebam enim me ab his teneri. Jactabam enim voces  
miserabiles: quamdiu, quamdiu, cras et cras? quare non modo?  
quare non hac hora fias turpitudinis meæ? Dicebam haec  
et flebam amarissima contritione cordis mei. Et ecce audio  
vocem de vicina domo, cum cantu dicentis et crebro repetentis:  
quasi pueri an puellæ, nescio. Tolle, lege; tolle, lege. Statimque

**mutato vultu, intentissimus cogitare cœpi, utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantare tale aliquid; nec ocorrerebat omnino audivisse me uspiciam.** Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei: non in comestationibus, et ebrietatis, non in cubilibus et impudicitias: non in contentione et emulatione, sed inuidimini Dominum Iesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Cap. XII.

### Ex libro III de civitate Dei cap. XVII.



Ubi ergo erant illi dii, qui propter exiguum fallacemque hujus mundi felicitatem colendi existimantur; cum Romani, quibus se colendos mendacissima astucia venditabant, tantis calamitatibus vexarentur? Ubi erant, quando Valerius consul, ab exsulibus et servis incensum Capitolium cum defensaret, occisus est? Faciliusque ipse prodesse potuit ædi Jovis, quam illi turba tot numinum cum suo maximo atque optimo rege, cuius templo liberaverat, subvenire. Ubi erant, quando densissimis fatigata civitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges mutuandas paululum quieta opperiretur, gravi fame pestilentiaque vastata est? Ubi erant, quando rursus populus, cum fame laboret, praefectum annonæ primum creavit; atque illa fame invadente, Spurius Mælius, qui esurienti multitudini frumenta largitus est, regni affectati crimen incurrit, et ejusdem praefecti instantia per dictatorem L. Quintium ætate decrepitum a Q. Servilio magistro equitum cum maximo et periculosissimo tumultu civitatis occisus est? Ubi erant, quando, pestilentia maxima exorta, diis inutilibus sine remedio populus diu multumque fatigatus nova lectisternia, quod nunquam antea fecerat, exhibenda arbitratus est? Lecti autem sternebantur in honorem Deorum, unde hoc sacrum vel potius sacrilegium nomen accepit. Ubi erant, quando Galli Romanum cuperunt, spoliaverunt, incenderont, cædibus impleverunt? Ubi erant, cum illa insignis pestilentia tam ingentem stragem dedit, qua et ille Furius Camillus extinctus est, qui rempublicam ingratam et a Veientibus ante defendit, et de Gallis postea vindicavit? Inde in hac pestilentia scenicos ludos, alias novam pestem non corporibus romanorum

sed quod est multo perniciosius, **moribus** intulerunt.

**CVI.****Ex Salviani ep. IV. Ipatio et Quietæ parentibus.**

Parentes charissimi, parentes reverentissimi, interrogari vos, quæsumus liceat. Ita possunt pignora sic amantia non amari. Quid tantum mali commeruimus, vel affectus dilectissimi vel Domini reverentissimi, ut nobis nec tamquam filiis reddatur gratia, nec tanquam famulis remittatur offensa? Septimus iam ferme annus est, ex quo nulla ad nos tam longe a vobis sitos scripta misistis.

Nunc longe aliud est. Ex quo Dei cultum professus es, pro me pronunciasti. Si praeteritas irarum causas obsequeris, imputati, qui christiano filiam tuam dedisti. Si id non est: Quid mihi irasperis? Quia eam nunc in me religionem augere cupio, quam tu in te probare cœpisti? Cur, rogo, in me non diligas quod es, qui in te quod eras, ipse damnasti.

**Ex S. Leonis Papæ sermone XLIV, de virtute ac necessitate mortis Christi.**

Quam itaque sibi in hujus saecamenti præsidio spem relinquent, qui in Salvatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem? Dicant, quo sacrificio reconciliati? Quo sanguine sint redempti? Quis est, qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis? Aut quod unquam sacrificium sacratus fuit, quam quod verus Pontifex altari crucis per immolationem suæ Carnis imposuit? Quamvis enim in conspectu domini multorum sanctorum pretiosa mors fuerit, nullius tamen insontis occisio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt justi, non dederunt coronas; et de fidelium fortitudine exempla nata sunt patientiæ, non dona justitiæ.

**Ex S. Fulgentii de fide ad Petrum Diaconum  
cap. XLIII.**

Firmissime tene, et nullatenus dubites, arcam Dei esse Ecclesiam catholicam, et intra eam usque in finem saeculi frumento mixtas paleas contineri: hoc est, bonis malos sacramentorum communione miseri: et in omni professione, sive clericorum sive monachorum, sive laicorum, bones esse simul et malos; nec pro matis bonos deserendos, sed pro bonis malos, in quantum exigit fidei et charitatis ratio, tolerandos, id est, si vel in Ecclesia nullius perfidiae semina spargunt, vel fratres ad aliquod malum opus mortifera imitatione non ducunt: nec posse aliquem intra Ecclesiam catholicam recte credentem, beneque viventem, alieno unquam maculari peccato, si cuiquam peccanti nec consensionem praebat nec favorem, utiliterque malos a bonis intra ecclesiam tolerari, si hoc cum eis bene vivendo et bene monendo agatur, ut et videntes et audientes, quae bona sunt, mala sua respuant, et judicandos se a Deo pro suis malis operibus contemiscant, atque ita præveniente dono gratiae de suis iniquitatibus confundantur, et ad bonam vitam per Dei misericordiam convertantur.

**Ex S. Gregorii M. Honil. XIII in Evangelium.**

Et cum certa mors maneat omnes, nolite de temporalis vitae providentia incerta cegitare. Terrenarum rerum vos cura non aggravet. Quantislibet enim auri et argenti molibus circundetur, quibuslibet pretiosis vestibus induatur caro, quid est aliud quam caro? Nolite ergo attendere quid habetis, sed quid estis. Vultis audire quid estis? Propheta indicat dicens: vere sœnum est populus. Si enim sœnum populus non est, ubi sunt illi quae quæ hodie colimus, nobiscum transacto anno beatæ Felicis natititia celebraverunt? O quanta et qualia de præsentis vitae prospitione cogitabant, sed surrepente mortis articulo repente in his quæ providere solebant, inventi sunt.

**Ex libro pastoralis curæ cap. I.**

Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione

**diseatur.** Ab imperitis ergo magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen saepe, qui nequaquam spiritalia praecēpta cognoverunt, cordis se medicos profleri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescant. Sed quia auctore Deo ad religiosis reverentiam omne jam præsentis sæculi culmen inclinatur: sunt nonnulli qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris: videri doctores appetunt, trascendere ceteros concupiscunt, atque attestante veritate, primas salutationes in foro, primos recubitus in cœnis, primas in concionibus querunt cathedras; qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad hujus humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud dicitur, aliud docetur.

### Ex Boethii de consolatione philosophiae libr. II.

Carmina qui quondam studio florente peregi,  
Flebilis heu! mœstos coger iuire modos.

Ecce mihi laceræ dictant scribenda camœnæ:  
Et veris elegi fletibus ora rigant.

Has saltem nullus potuit pervincere terror,  
Ne nostrum comites prosequerentur iter.

Gloria felicis olim viridisque juventæ,  
Solantur mœsti nunc mea fata senis.

Hæc dum mecum tacitus ipse reputarem, querimoniamque lacrymabilem stili officio designarem, astitisse mihi supra verticem visa est mulier reverendi admodum vultus, oculis ardentibus, et ultra communem hominum valentiam perspicacibus, colore vivo, atque inexhausti vigoris; quamvis ita avi plena, foret, ut nullo modo nostra crederetur ætatis: statuta discretiōnis ambiguæ. Nam nunc quidem ad communem sese hominum mensuram cohibebat; nunc vero pulsare cœlum summi verticis cacumine videbatur; que cum caput altius extulisset, ipsum etiam cœlum penetrabat, respicientiumque sese hominum frustrabatur intuitus.

Tunc illa: huncine, inquit, mundum temerariis agi, fortuitis-

que casibus putas, an nullum credis ei inesse regimen rationis ?  
Boeth. Atqui, inquam, nullo existimaverim modo, ut fortuita  
temeritate tam certa moverentur: verum operi suo conditorem  
præsidere Deum scio. Nec unquam fuerit dies, qui me ab hac  
sententiæ veritate depellat.

Nubibus atris	Mox resolute	Lumine claro
Condita nullum	Sordida cœno,	Cernere verum,
Fundere possunt	Visibus obstat,	Tramite recto
Sidera lumen,	Quique vagatur	Carpere callem:
Si mare volvens	Montibus altis	Gaudia pelle,
Turbidus Auster	Desflus amnis,	Pelle timorem,
Misceat æstum,	Sæpe resistit	Spemque fugato,
Vitrea dudum	Rupe soluti	Nec dolor adsit:
Parque serenis	Obice saxi.	Nubila mens est
Unda diebus,	Tu quoque, si vis	Vinctaque frenis
		Hæc ubi regnant.

### Ex D. Leandri Regula de institutione virginum.

Jam ad portum navem orationis dirigimus, et emenso dictorum pelago in littore quiescendi anchoram ponimus: flatu tamen charitatis tuæ iterum in fluctibus verborum revehor. Te, quæso, soror Florentina, per beatam quoque trinitatem unicæ divinitatis obtestor: ut quæ de terra tua, et de cognatione tua cum Abraham egressa es, cum uxore Loth non respicias retro, ne efficiaris exemplo malo documentum aliarum ad bonum; et ne in te aliæ videant, quod in se caveant. Illa vero aliis facta est condimentum sapientie, sibi vero simulacrum stultitiae, sibi enim nocuit malefactum, altis profuit exemplum contrarium. Vide, soror Florentina, quod te pavens mœrensque convenientiam, ne te serpens præripiat a Paradiso, et in eam ponat terram, quæ spinas et tribulos germinat, de qua tursum si velis manum extenderet, et lignum vitæ edendum assumere, non permittaris attingere. Cap. XXI.

## CVIII.

**Ex D. Isidori Hispalensis Etymolog. lib VI.**

Opusculorum genera sunt tria. Primum genus excerpta sunt: quæ græce scholia nuncupantur, in quibus ea quæ videntur obscura, vel difficultia, summatim, ac breviter præstringuntur. Secundum genus homiliæ sunt, quas latini verba appellant, quæ proferuntur in populis. Tertium, tomī: quos nos libros, vel volumina nuncupamus. Homiliæ autem ad vulgus loquuntur: tomī vero, id est, libri majoris sunt disputationis. Dialogus est collatio duorum, vel plurimorum, quam latini sermonem dicunt. Nam quos græci dialogos vocant, nos sermones vocamus: sermo autem dictus, quia inter utrumque seritur. Unde et in Virgilio: Multa inter sese vario sermone serebant. Tractatus est unius rei multiplex expositio, eo quod trahat sensum in multa, sententiam contrectando secum. Differt autem sermo, tractatus, et verbū. Sermo enim altera eget persona: tractatus specialiter ad seipsum est: verbū autem ad omnes. Unde et dicitur: verbū fecit ad populum. Commentaria dicta quasi cum mente. Sunt enim interpretationes: ut commenta juris, commenta Evangelii. Fastorum libri sunt, in quibus reges, vel Consules scribuntur. Cap. VIII.

**Ex D. Ildephonsi de Virgin. Sanctæ Mariae lib.**

Sit rogo jam, sit rogo, Judæ, gratissimum tibi, tantæ virginitatis decus, in tua cognatione repertum. Sit amabile, tantæ gloriæ virginem, in tuo genere invenisse. Sit lætum in tua trādūce, tantæ pudicitiae visum insigne. Sit jucundum, in stirpe tantum tua, patefactum tale miraculum. Ecce impleta est omnis terra per hanc virginem gloria Dei. Cognoverunt omnes, a parvo usque ad magnum, per hanc virginem Deum vivum. Viderunt omnes per hanc virginem, salutare dei. Remorati sunt, et conversi per hanc virginem ad dominum, universi fines terræ. Adorant in conspectu filii ejus omnes patriæ gentium; ipsius est filii regnum, et ipse Deus dominabitur gentium. Cap. IV.

## Ex D. Juliani Tolet. Archiep. Prognostico lib I.

Mortem carnis. omnis homo timet, et mortem animæ pauci. Pro morte carnis, quæ sine dubio quandoque ventura est, omnes curant, ne veniat; inde est quod laborant; laboratur, ne moriatur homo moriturus; et non laborat, ne peccet homo in æternum victurus. Et cum laborat ne moriatur, sine causa laborat. Id enim agit, ut multum mors differatur, non evadatur. Si autem peccare nolit, non laborabit, et vivet in æternum. O si possemus excitare homines, et cum ipsis pariter excitari; ut tales essemus amatores vita permanentis, quales sumus vitæ fūgentis. Cap. XI.

## Ex Bedæ Presbiteri de Mundi constitutione lib.

### *De Fulmine.*

Denique cardinales venti tres convenient, et nubes compellunt tanta vi, ut ex collisione illa nascantur sonitus, et claritas quædam. Quod auditum offendit, tonitruum est: quod visum, fulgor et fulguratio: quod ferit, fulmen dicitur. Nascitur ibi præterea quidam lapis, qui vel nimia compressioni, vel nimio calori, vel nimio frigori potestis attribuere: quia expressio possit hoc efficere, videtur satis, ubi lacteus humor conglutatur; qui vero calor diversis modis res mulcat aut consolidet, apparel in limo. Quod autem frigus duritiem faciat, videtur in metallis liquefactis, ut etiam in ferro, lapides dissilire facit, lignum findit, aquam constringit.

## Ex D. Petri Damiani sermone XLVIII.

Ad superandum ergo diabolum, Crucis insigne nobis noster imperator exhibuit: et ne nobis grave videretur, prius ipse gestavit. Itaque et nos in laudem beatæ crucis libet exclamare: O beata Crux, quæ illum meruisti nova libratione suspendere, quem cœlum et terra nequeunt sustinere! O Crux purior vitro, rutilantior auro, quæ tamquam vernantibus gemmis, et margaritis, membris ornata es Salvatori!

Tu sola inter omnia ligna silvarum electa es ad humanae

redemptionis officium. Te tartara metount, Angeli venerantur,  
et omnis rerum creatura miratur. O vere nobilis arbos, quæ de  
terreno quidem cespite orta procedis, sed super astra cœli felices  
ramos expandis!

### Ex D. Anselmi oratione XIX.

Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam mi-  
rabiliter inspiras cordibus amatorum tuorum! quam mira sua-  
vitas amoris tui, quo persuuntur illi, qui nihil præter te dili-  
gunt, nihil querunt, nihil etiam cogitare concupiscent! felices  
illi, quibus tu solus spes es, et omne opus eorum oratio. Bea-  
tus, qui sedet solitarius et tacet, et stat super custodiam suam  
jugiter die ac nocte; ut adhuc in hoc fragili corpusculo positus  
prælibare valeat aliquatenus dulcedinem tuam. Rogo te per illa  
salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro salute nos-  
tra, e quibus emanavit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti,  
vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori-  
dignatus es: vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ nimia  
charitatis. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetralior  
omni gladio ancipi.

### Ex D. Bernardi in assumpt. B. Mariae serm. IV.

Constat enim pro universo genere humano fuisse sollicitatem,  
cui dictum est. Ne timeas, Maria, invenisti gratiam, utique quam  
quæcerbas. Quis ergo misericordiae tuæ o benedicta, longitudi-  
nem et latitudinem, sublimitatem et profundum queat investiga-  
re?

Per te enim cœlum repletum; infernus evacuatus est: ins-  
tauratae ruinae cœlestis Hierusalem: expectantibus miseris vita  
perdita data. Sic potentissima et piissima charitas et affectu  
compliendi, et subveniendi abundat affectu, æque locuples in  
utroque. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nos-  
tra. Ad hunc misericordiae cumulum tota sollicitudine miseria  
nostra recurrat. Ecce jam quibus potuimus votis ascendentem te  
ad filium deduximus, et prosecuti sumus saltem, a longe, virgo  
benedicta. Sit pietatis tuæ, ipsam quam apud Deum gratiam in-  
venisti, notam facere mundo.

## Ex Epistola II ad Fulconem.

Quid facis in urbe, qui claustrum elegeras? Quid tibi cum sæculo, qui sæculum spreveras? Funes ceciderunt tibi in præclaris, et tu opibus inhias terrenis? Si vis habere simul hæc et illa, breviter tibi respondebitur: memento, fili, quia recepisti bona in vita tua. Recepisti, dixit, non rapuisti: ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis contentus, aliena non rapias. Verumtamen quæ sunt illa tua? Beneficia ecclesiæ? Recte: quia surgis ad vigilias, vadis ad missas, horis chorum nocturnis diurnisque frequentas. Benefacis, sic ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Dignum est, ut qui altario deserviat, de altario vivat. Conceditur ergo tibi, ut si bene deservis, de altario vivas, non autem ut de altario luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea a collo et manibus ornata purpureo diversificata.

## Ex D. Bonaventuræ lib. Isentent. distinct. XVII

### partis I dubio III.

Qui diligit, inquit, fratrem, in lumine manet. Videtur hoc verbum Joannis positum impropter dictum, quia lumen respicit cognitionem, sicut calor affectionem; ergo magis deberet dicere manet in calore, quam manet in lumine.

Respondeo. Dicendum, quod luminis est manifestare. Manifestare autem aliquid alicui est dupliciter, aut sicut viam cognoscendorum, aut sicut viam agendorum. Primum est per scientiam, et contra illud lumen opponitur tenebra ignorantiae simplicis. Secundum est per gratiam. Unde per Joannem: unctio docet vos de omnibus, et contra illud est tenebra malitiæ, sive peccati: et de hoc lumine, et de his tenebris loquitur beatus Johannes, quod patet in textu.

## Ex D. Thomæ Suminæ Theol. I. p. q. XCIII a. I.

*Utrum imago Dei sit in homine.*

**Ad Primum** sic proceditur. Videtur, quod imago Dei non sit

in homine. Dicitur enim Isaiae 40. *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?*

Sed contra est, quod dicitur Genesi 1. *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram.*

Respondeo dicendum, quod sicut Augustinus dicit in lib. 83. Quæstionum (quæst. 74. tom. 4.): *ubi est imago, continuo est et similitudo: sed ubi est similitudo, non continuo est imago.* Ex quo patet, quob similitudo est de ratione imaginis, et *imago* aliquid addit supra rationem similitudinis; scilicet quod sit ex alio expressa. Imago enim dicitur ex eo, quod agitur ad imitationem alterius. Unde ovum, quantumcunque sit alteri ovo simile, et æquale, quia tamen non est expressum ex illo, non dicitur imago ejus &c.

Ad primum ergo dicendum, quod Propheta loquitur de corporalibus imaginibus ab homine fabricatis, et ideo signanter dicit. *Quam imaginem ponetis ei?* Sed Deus ipse sibi in homine posuit spiritualem imaginem.

## CX.

### Ex Cicer. lib. II de orat. cap. XII.

Age vero, inquit Antonius, qualis oratoris, et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere? Si, ut Græci scripserunt, summi, inquit Catulus: si, ut nostri, nihil opus est oratore. Satis est non esse mendacem. Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, Græci ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. Erat enim historia nihil aliud, nisi annalium confessio: cuius rei, memoriaeque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus, afferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi, ii qui etiam nunc Annales maximi nominantur.

Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum, gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Græcos Phe-

recides, Hellanicus, Acusilas fuit, aliique permulti; talis nos-  
ter Cato, et Pictor et Piso, qui neque tenent quibus rebus or-  
netur oratio, ( modo enim huc ista sint importata ) et dum intel-  
ligatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevi-  
tatem. Paululum se erexit, et addidit historiae majorem sonum vo-  
cis vit optimus, Crassi familiaris, Antipater. Cæteri non exor-  
natores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

XIII. Est, inquit Catulus, ut dicis. Sed iste ipse Cælius ne-  
que distinxit historiam varietate locorum; neque verborum col-  
locatione, et tractu orationis leni et æquabili perpolivit illud  
opus; sed ut homo neque doctus, neque maxime aptus ad di-  
cendum, sicut potuit, delavit: yicit tamen, ut dicis, superiores.

Minime mirum, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra  
lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiae noſtro-  
rum hominum, niſi ut in causis atque in foro eluceat: apud Gra-  
eos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus,  
cum ad cæteras res illustres, tum ad scribendam historiam ma-  
xime se applicaverunt.

### Ex I de legibus c. II.

Atticus. Teneo quam optabam occasionem, neque omittam.  
Marcus. Quam tandem. Tite ? Att. Postulatur a te jam diu vel  
flagitatur potius historia. Sic enim putant, te illam tractante, ef-  
fici posse, ut in hoc etiam genere græcia nihil cedamus. Atque  
ut audias, quid ego ipse sentiam, non solum mihi videris eorum  
studiis, qui litteris delectantur, sed etiam patriæ debere hoc mu-  
nus; ut ea, quæ salva per te est, per te eumdem sit ornata. Ab-  
est enim historia litteris nostris, ut et ipse intelligo, et ex te  
persæpe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe  
cum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium  
maxime. Quamobrem aggredere, quæsumus, et sume ad hanc  
rem tempus, quæ est a nostris hominibus adhuc, aut ignorata,  
aut reicta. Nam post annales pontificum maximorum, quibus  
nihil est jucundius, si ad Fabium, aut ad eum, qui libi semper  
in ore est, Catonem, aut ad Pisonem, aut ad Fannium, aut ad  
Vennonium venias: quamquam ex iis alius alio plus habet vi-  
rium; tamen quid tam exile, quam isti omnes ? Fannii autem  
ætati conjunctus Antipater paulo inflavit vehementius, habuitque  
vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palæstra,

sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent. Ecce autem successere huic Gellius, Clodius, Asellio: nihil ad Cælium, sed potius ad antiquorum languorem atque inscitiam. Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum: nec id tamen ex illa erudita græcorum copia; sed ex librariolis latinis: in orationibus autem multis et ineptus, ad summam impudentiam. Sisenna, ejus amicus omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superavit. Is tamen neque orator in numero vestro unquam est habitus, et in historia puerile quidam consecetur, ut unum Clitarchum, neque præterea quemquam, de græcis legisse videatur: eum tamen velle duntaxat imitari; quem si assequi posset, aliquantum ab optimo tamen abesset. Quare tuum est munus: hoc a te expectatur: nisi quid Quinto videtur secus. Quintus. Mihi vero nihil: et saepe de isto collectuti sumus. Sed est quædam inter nos parva dissensio. Atticus. Quæ tandem? Quintus. A quibus temporibus scribendi capiatur exordium. Ego enim ab ultimis censeo, quoniam illa sic scripta sunt, ut ne legantur quidem. Marcus. Intelligo equidem a me istum laborem jamdiu postulari, Attice: quem non recusarem, si mihi ullum tribueretur vacuum tempus et liberum. Neque enim occupata opera neque impedito animo res tanta suscipi potest. Utrumque opus est, et cura vacare et negotio. Historia vero nec institui potest, nisi præparato otio, nec exiguo tempore absolvitur; et ego animi pendere soleo, cum semel quid orsus traducer alio; neque tam facile interrupta contexo, quam absolvio insituta.

### Ex A. Gellii lib. XVI cap. IV.

Item in libro ejusdem Cincii de re militari V. ita scriptum est: Cum delectus antiquitus fieret, et milites scriberentur, in iusjurandum eos tribunus militaris adigebat in verba hæc: in magistratu C. Lælii C. filii Cos., L. Cornelii P. filii Cos. in exercitu, decemque millia passuum prope, furtum non facies dolomalo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei, in dies singulos. Extra hastam, hastile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris, sustulerisve quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium C. filium Cos., L. ve Cornelium P. filium Cos., siye ad quem eorum

jus erit, proferas, aut profitebere in triduo proximo, quidquid iuveneris, sustulerisve dolo malo, aut domino suo, cujum id censibus esse, reddes, uti quod recte factum esse noles,

### Ex lib. XI cap. XIV.

Simplicissima suavitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis vita atque victu scriberet. Ea verba, quæ scripsit, hæc sunt: eumdem Romulum dicunt ad coenam vocatum, ibi non multum bibisse; quia postridie negotium haberet. Et dicunt, Romule, si istuc omnes homines faciant, vinum vilius sit. Is respondit, imo vero carum, si quantum quisque volet, bibat; nam ego bibi, quantum volui.

### Ex libro V cap. IV.

Apud Sigillaria forte in libraria ego et Julius Paulus poeta, vir memoria nostra doctissimus, conseruamus, atque ibi expositi erant Fabii annales, bonæ atque sincerae vetustatis libri, quos vendor sine mendis esse contendebat. Ostendebat grammaticus quispiam ita scriptum in lib. IV. Quapropter tum primum ex plebe alter Coss. factus est, duo et vicesimo anno, postquam Romam Galli ceperunt: non, inquit, duo et vicesimo, sed duo-devicesimo scribi oportuit. Quid enim est duo et vicesimo? Alio quoque loco hic ita scripsit. Mortuus est anno duo et vicesimo, rex fuit anno vicesimo primo.

### Ex M. Porcii Catonis lib. de re rustica.

Est interdum præstare mercaturis rem querere, ni tam periculoso siet, et item fœnerari, si tam honestum siet. Maiores enim nostri sic habuerunt, et ita in legibus posiverunt. Furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimariut fœneratorem, quam furem, hinc licet existimari. Et virum bonum cum laudabant, ita laudabant, bonum agricolam, bonumque colonum. Amplissime laudari existimabatur, qui ita laudabatur. Mercatorem autem strenuum studiosumque rei querendæ existimo, verum (ut supra dixi) periculoso et calamitosum. At ex agricolis et viri fortissimi, et milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius questus, stabilissi-

musque consequitur, minimeque invidiosus: minimeque male cogitantes sunt, qui in studio occupati sunt. Nunc ut ad rem redam, quod promisi, institutum principium hoc erit.

## CXII.

## Ex Auli Gellii lib. XV. cap. I.

Verba Q. Claudii Quadrigarii ex undevigesimo annali haec sunt. Tum Sylla conatus est, et tempore magno eduxit copias; ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. Venit, accessit, ligna subdidit, submovit græcos, ignem admovit: satis sunt diu conati, nunquam quiverunt incendere; ita Archelaus omnem materiam oblierat alumine: quod Silla atque milites mirabantur. Et postquam non succedit, reduxit copias.

## Ex C. Suetonii Tranquilli C. J. Cæsare cap. LVI

Reliquit et rerum suorum Commentarios, gallici, civilisqne belli Pompejani. Nam Alexandrini, Africique, et Hispaniensis, incertus auctor est. Alii enim Opium putant; alii Hircium; qui etiam gallici belli novissimum imperfectumque librum superlevit. De Commentariis Cesaris Cicero in eodem libro sic refert Commentarios scripsit valde quidem probandos; nudi sunt, recti et venusti, ornati ornatu orationis, tamquam veste, detracto. Sed dum voluit, alias habere parata, unde sumerent, qui vellent scribere historiam, ineptis gratum fortasse fecit, qui volunt illa calamistris inurere, sanos quidem homines a scribendo deterruit. Nihil enim est in historia pura et illustri brevitate dulcius. De eisdem commentariis Hircius ita prædicat: adeo probantur omnium judicio, ut prærepta, non præbita facultas scriptoribus videatur. Cujus tamen rei major nostra, quam reliquorum est admiratio. Gæteri enim quam bene atque emendate, nos etiam quam facile atque celeriter eos perscripserit, scimus. Pollio Asinius parum diligenter, parumque integra veritate compositos putat: eum Cæsar pleraque, et quæ per alios erant gesta, temere crediderit, et quæ per se, vel consulto, veletiam memoria lapsus, perperam ediderit: existimatque rescripturum et correcturum fuisse.

# Ex C. Cæsaris lib. III de bello civili cap. XXI

Sed fortuna, quæ plurimum potest, cum in reliquis rebus, tum præcipue in bello, parvis momentis magnas rerum commutations efficit, ut tum accidit. Munitionem, quam pertingere a castris ad flumen supra demonstravimus, dextri Cæsaris cornu cohortes ignorantia loci sunt secutæ, cum portam quærerent, castrorumque eam munitionem esse arbitrarentur. Quod cum esset animadversum conjunctam esse flumini, protinus his munitiobibus, defendantे nullo, transcederunt; omnisque noster equitus eas cohortes est secutus.

Interim Pompejus, hac longa satis interjecta mora, et renunciata, V. legionem ab opere deductam, subsidio suis duxit, eodemque tempore equitatus ejus nostris equitibus appropinquabat, et acies instrueta a nostris, qui castra occupaverant, cernebatur; omniaque sunt subito mutata. Pompejana enim legio celeris spe subsidii confirmata, ab decumana porta resistere conabantur, atque ultro in nostros impetum faciebat. Equitatus Cæsaris, quod angusto itinere per aggeres ascendebat, receptui suo timens, initium fugæ faciebat. Dextrum cornu, quod erat a sinistro seclusum, terrore equitum animadverso, ne intra munitionem oppimeretur, ex parte, qua proruebat, sese recipiebat: ac plerique ex iis, ne in angustias inciderent, X. pedum munitionis sese in fossas præcipitabant: primisque oppressis, reliqui per horum corpora salutem sibi, atque exitum pariebant.

Sinistro cornu milites, cum ex vallo Pompejum adesse, et suos fugere cernerent, verili ne angustiis intercluderentur, cum extra et intus hostem haberent, eodem, quo venerant, receptui consulebant: omniaque erant tumultus, timoris, fugæ plena; adeo ut, Cæsar signa fugientium manu prehenderet, et consistere juberet, ali dimissis equis, eundem cursum conficerent, alii ex metu etiam signa dimitterent; neque quisquam omnino consisteret. His tantis malis hæc subsidia succurrebant, quominus omnis deleretur exercitus, quod Pompejus insidias timens, credo, quod hæc præter spem acciderant ejus, qui paulo ante ex castris fugientes suos conspicerat, munitionibus appropinquare aliquandiu non audebat, equitesque ejus angustiis, portisque a Cæsaris militibus occupatis, ad insequendum tardabantur. Ita parvæ res magnum in utramque partem momentum habuerunt,

Pompejuseo prælio imperator est appellatus. Hoc nomen obtinuit, atque ita se postea salutari passus est.

## Ex lib. VI de bello gallico.

Natio est omnium Gallorum admodum dedita religionibus: atque ob eam causam, qui sunt affecti gravioribus morbis, qui-que in præliis periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos voent, administrisque ad ea sa-crificia Druidibus utuntur, quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium numen pla-cari arbitrantur, publiceque ejusdem generis habent instituta sa-crificia. Alii immani magnitudine simulacula habent, quorum contexta vixinibus membra vivis hominibus compleunt, quibus succensis circumventi flamma exanimantur homines. Supplicia eorum, qui in furto aut latronicio, aut in aliqua noxa sint comprehensi, graviora diis immortalibus esse arbitrantur. Sed cum ejus generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt. Deum maxime Mercurium colunt; hujus sunt plurima simulacula. Hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque iterum ducem, hunc ad quæstus pecunie, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur. Post hunc Appollinem, et Martem, et Jovem, et Minervam. De his eamdem fere, quam reliquæ gentes habent opinionem.

Galli se omnes ab Dite patre prognatos prædicant. Idque ab Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum, sed noctium finiunt; et dies na-tales, et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur. Magistratus, quæ visa sunt, occultant: quæque esse ex usu judicaverint, multitudini produnt. De republica, ni-si per concilium loqui non conceditur.

Germani multum ab hac consuetudine differunt: nam neque Druidas habent, qui rebus divinis præsent, neque sacrificiis stu-dent. Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quo-rum opibus aperte juvantur: Solem, et Vulcanum, et Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt. Vita omnis in venationi-bus, atque in studiis rei militaris consistit: ab parvulis duritiei, ac labore student. Qui diutissime impuberes permanerunt, ma-ximam inter suos ferunt laudem. Hoc ali statuaro, ali hoc vi-res, nervosque confirmari putant.

**CXIV.****Ex Cornelii Nepotis Pausania.**

I. Pausanias Lacedæmonius. Magnus homo, sed varius in omni genere vita fuit. Nam ut virtutibus eluxit, sic vitiis est obrutus. Hujus illustrissimum est prælum apud Platæas. Namque illo duce, Mardonius satrapes regius, natione Medus, regis gener, in primis omnium persarum et manu fortis, et consilii plenus, cum ducentis millibus peditum, quos viritim legerat, et viginti millibus equitum, haud ita magna manu Græcia fugatus est, eoque ipse dux cecidit prælio.

II. Post id prælum eumdem Pausaniam cum classe communi Cyprum, atque Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum præsidia depelleret. Pari felicitate in ea re usus, elatius se gerere cœpit, majoresque appetere res.

In quo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur, multatur tamen pecunia. Quam ob causam ad classem remissus non est.

III. At ille post non multo sua sponte ad exercitum rediit, et ibi non callida, sed dementi ratione, cogitata patefecit. Non enim mores patrios solum, sed etiam cultum, vestitumque mutavit. Apparatu rēgio utebatur, veste Medica: satellites Medi et Ægyptii sequebantur: epulabatur more persarum luxuriosius, quam, qui aderant, perpeti possent: aditum petentibus conveniens non dabat: superbe respondebat, et crudeliter imperabat: Spar-tam redire nolebat.

Est genus quoddam hominum, quod Helotes vocatur, quorum magna multitudo agros lacedæmoniorum colit, servorumque munere fungitur: hos quoque sollicitare spe libertatis existimabatur; sed quod harum rerum nullum erat apertum crimen, quo argui posset, non putabant de tali, tamque claro viro suspicionibus oportere judicari, sed expectandum, dum se ipsa res aperiret.

IV. Interim Argilius quidam adolescentulus, quem puerum Pausanias amore vehereo dilexerat, cum epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eique in suspicionem venisset, aliquid in ea de se esse scriptum, quod nemo eorum rediisset, qui super tali causa eodem missi erant: vincula epistolæ laceravit, signoque

detracto cognovit, si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eadem epistola, quæ ad ea pertinebant, quæ inter regem Pausiamque convenerant. *Has ille litteras Ephoris tradidit.*

### Ex Epaminonda.

Epaminondas Polymni filius, Thebanus.

IV. Tentata autem ejus est abstinencia a Diomedonte Cyziceno: namque is, roga tu *Arlaxerxis*, Epaminondam pecunia corrumpendum suscepérat. Hic magno cum pondere auri Thebas vénit; et Micythum adolescentulum quinque talentis ad suam perduxit voluntatem, quem tum Epaminondas plurimum diligebat. Micythus Epaminondam conuenit, et causam adventus Diomedonis ostendit. At *ille* Diomedonte coram, nihil, inquit, opus pecunia est: nam si ea rex vult, quæ Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus: sin autem contraria, non habet auri atque argenti satis; namque orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ caritate. Te, qui me incognitum tentasti, tuique similem existimasti, non miror; tibique ignosco. Sed egredere propere, ne alios corrumpas, cum me non potueris. Tu, Micythe, argentum huic reddé: nisi id confessim facis, ego te tradam magistratui. Hunc Diomedon cum rogaret, ut tuto exire, suaque, quæ attulisset, liceret afferre: illud, inquit, faciam; neque tua causa, sed mea: ne, si tibi sit pecunia adempta, aliquis dicat, id ad me eréptum pervenisse, quod delatum accipere noluissem. A quo cum quæsisset, quo se deduci vellet, et *ille* Athenas dixisset; præsidium dedit, ut eo tuto perveniret. Neque vero id satis habuit, sed etiam ut inviolatus in navem ascenderet, per Chabriam atheniensem, de quo supra mentionem fecimus, effecit. Abstinentiae erit hoc satis testimonium. Plurima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus est, quoniam uno hoc volumine *vitas excellentium virorum* concludere constituimus: quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt.

### Ex Chabria.

II. Chabrias autem multa in Europa bella administravit, cum dux Atheniensium esset; multa in Ægipto sua sponte ges-

sit: nam Nectanebum adjutum proiectus, regnum ei constituit. Fecit idem Cyri, sed publice ab Atheniensibus Evagorae adiutor datus: neque prius inde discessit, quam totam insulam bello devinceret: qua ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. Interim bellum inter Ægyptios et Persas conflatum est. Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant; Lacedæmonii cum Ægyptiis; a quibus magnas prædas Agesilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias, cum in re nulla Agesilao cederet, sua sponte eos adiutum proiectus, Ægyptiæ classi præfuit; pedestribus copiis Agesilaus.

### Ex Agesilao.

VIII. Atque hic tantus vir, ut naturam fautricem habeat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore; nam et statura fuit humili, et corpore exiguo, et claudus altero pede. Quæ res etiam nonnullam afferebat deformitatem: atque ignoti, faciem ejus cum intuerentur, contemnebant: qui autem virtutem noverant, non poterant admirari sat. Quod ei usu venit, cum annorum octoginta subsidio Thaco in Ægyptum ivisset, et in acta cum suis accubuisse sine ullo tecto; stratumque haberet tale, ut terra tecta esset stramentis; neque hoc amplius quam pellis esset injecta, cōdemque comites omnes accubuisserint, vestitu humili, atque obsoleto, ut eorum ornatus non modo in his Regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet.

### CXVI.

### Ex C. Sallustii Crispi bello Catilinario. cap. LX

Sed ubi omnibus rebus exploratis, Petrejus tuba signum dat, cohortes pauhatim incedere jubet; idem facit hostium exercitus. Postquam eo ventum est, unde a ferentariis prælium committi posset; maximo clamore infestis signis concurrunt; pila omissunt; gladiis res geritur. Veterani, pristinæ virtutis memores,

cominus acriter instare, illi haud timidi resistunt: maxima vi certatur. Interea Catilina cum expeditis in prima acie versari: laborantibus succurrere: integras pro sauciis accersere: omnia providere, multum ipse pugnare, saepe hostem ferire: strenui militis, et boni imperatoris officia simul exsequebatur. Petrejus, ubi videt Catilinam contra, ac ratus erat, magna vi contendere; cohortem praetoriam in medios hostis inducit; eosque perturbatos, atque alios alibi resistentes, interficit; deinde utrinque ex lateribus ceteros adgreditur. Manlius, et Fæsulanus in primis pugnantes cadunt. Postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt Catalina, memor generis, atque pristinæ dignitatis suæ, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugnans confoditur.

**LXI.** Sed, confecto prælio, tum vero cerneret, quanta audacia, quantaque animi vis fuisset in exercitu Catilinæ. Nam ferre, quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum, amissa anima, corpore tegebat. Pauci autem, quos medios cohors praetoria disjecerat, paullo diversius, sed omnes tamen adversis vulneribus, conciderant. Catilina vero longe a suis inter hostium cadavera repertus est, paullulum etiam spirans, ferociamque animi, quam habuerat vivus, retinens.

### Ex bello Jugurthino.



**XXI.** Adherbal cum paucis equitibus Cirtam profigit.

**XXVI.** Ea postquam Cirtæ auditæ sunt, Italici, quorum virtute mœnia defensabantur, confisi, ditione facta, propter magnitudinem populi romani inviolatos sese fore, Adherbali suadent, uti seque et oppidum Jugurthæ tradat: tantum ab eo vitam paciscatur: de ceteris senatu curæ fore. At ille tametsi omnia potiora fide Jugurthæ rebatur, tamen, quia penes eosdem, si advorsaretur, cogendi potestas erat, ita, uti censuerant Italici, ditionem fecit. Igitur Jugurtha in primis Adherbalem excruciatum necat: dein omnis puberes Numidas, atque negotiatores promiscue, uti quisque armatis obvius fuerat, interfecit.

**XXVII.** Quod postquam Romæ cognitum est, et res in senatu agitari coepit: iidem illi ministri regis interpellando, ac saepe gratia, interdum jurgiis trahendo tempus, atrocitatem facti leniebant. At ni C. Memmius, tribunus plebis designatus, vir acer, et infestus potentiae nobilitatis, populum romanum edocuit-

set id agi, uti per paucos factiosos Jugurthæ scelus condonatur: profecto omnis invidia, prolatandis consultationibus, dilapsa foret. Tanta vis gratiae, atque pecuniae Regis erat!

**XXVIII.** At Jugurtha, contra spem nuncio accepto, quippe cui, Romæ omnia venire, in animo hæserat; filium et cum eo duos familiaris ad senatum legatos mittit; iisque, uti illis, quos Hiempseal interfecto miserat, præcipit, *omnis mortalis pecunia aggrediantur.*

**XXXIII.** Igitur Jugurtha, contra decus regium, cultu quam maxime miserabili, cum Cassio Romam venit. At tametsi in ipso magna vis animi erat, confirmatus ab omnibus, quorum potentia aut scelere cuncta ea gesserat, quæ supra memoravimus, Cajum Bæbium tribunum plebis magna mercede parat, cujus impudenteria contra jus et injurias omnis munitus foret.

**XXXV.** Erat ea tempestate Romæ Numida quidam, nomine Massiva Gulussæ filius, Masinissæ nepos. Quæ postquam Massiva agitare coepit, neque Jugurtha in amicis satis præsidii est: quod eorum alium conscientia, alium mala fama, et timor animi impediebat: Bomilcari proxumo, ac maxume fido sibi, imperat, pretio, sicuti multa confecerat, insidiatores Massivæ paret, ac maxume occulte: sin id parum procedat, quovis modo Numidam interficiat. Bomilcar mature Regis mandata exsequitur.

At Jugurtha, manifestus tanti sceleris, non prius omisit contra verum nisi, quam animadvirtit, super gratiam, atque pecuniam suam, invidiam facti esse. Igitur quamquam in priore actione ex amicis quinquaginta vades dederat, regno magis, quam vadibus consulens clam in Numidiam Bomilcarem dimittit, veritus ne reliquos popularis metus invaderet parendi sibi, si de illo supplicium sumptum foret. Et ipse paucis diebus eodem profectus est, jussus a Senatu Italia decadere. Sed postquam Roma egresus est, fertur, saepè tacitus eo respiciens, postremo dixisse: Urhem venalem, et mature peritoram, si emptorem invenerit.

### Ex historiarum fragmentis, Lib. IV.

◆◆◆◆◆

Epistola regis Mithridatis scripta ad regem Arsacem.

Rex Mithridates regi Arsaci S. Omnes, qui secundis rebus suis ad bellum societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere. Dein quod quæritur, satisne pius, tutum, glorio-

sum, an indecorum sit. Tibi perpetua pace frui liceret, nisi hostes opportuni, et sclestissimi. Egregia fama, si Romanos oppresseris, futura est. Neque petere audeam societatem: et frustra mala mea cum tuis bonis misceris sperem. Atqui ea, quæ te morari posse videntur, ira in Tigranem recentis belli, et meæ res parum prosperæ, si vera æstumare voles, maxime hortabuntur. Ille enim obnoxius, qualem tu voles, societatem accipiet: mihi fortuna, multis rebus ereptis, usum dedit bene suadendi: et, quod florentibus optabile est, ego non validissimus præbeo exemplum, quo rectius tua componas. Namque romanis, cum nationibus, populis, regibus cunctis, una et ea vetus causa bellandi est, cupidio profunda imperii, et divitiarum.

Teque illa fama sequetur, auxilio profectum magnis regibus, latrones gentium oppressisse. Quod uti facias moneo, hortorque, neu malis pernicie nostra unum imperium prolatare, quam societate victor fieri.

---

## CXVIII.

### Ex T. Livii lib. I. cap. XXV.

---

Födere icto, trigemini, sicut convenerat, arma capiunt. Cum sui utrosque adhortarentur; deos patrios, patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus; feroce et suopte ingenio, et pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. Considerant utrinque pro castris duo exercitus, periculi magis præsentis quam curæ expertes. Quippe imperium agebatur, in tam paucorum virtute alque fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spectaculum animo intenduntur.

Datur signum: infestisque armis, velut acies, terni juvenes, magnorum exercituum animos gerentes, concurrunt: nec his, nec aliis periculum suum, sed publicum imperium, servitiumque obversatur animo, futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipsi fecissent. Ut primo statim concursu increpuere arma, micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, et

neutro inclinata spe, torpebat vox spiritusque. Consertis deinde manibus, cum jam non motus tantum corporum, agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent; duo Romani, super alium aliis, vulneratis tribus Albanis, exspirantes corruerunt.

Ad quorum casum cum conclemasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones jam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiati circumsteterant. Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic aduersus singulos ferox: ergo, ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam; ita ratus secuturos, ut quemque vulnera affectum corpus sineret. Jam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens videt magnis intervallis sequentes; unum haud procul ab sese abesse: in eum magno impetu rediit. Et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, jam Horatius, cæso hoste, victor secundam pugnam petebat.

Tunc clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adjuvant militem suum: et ille defungi prælio festinat. Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatum conficit. Jamque æquato Marte singuli supererant, sed nec spe nec viribus pares: alterum intactum ferro corpus, et geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant: alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage, victori objicitur hostis: nec illud prælium fuit. Romanus exultans: Duos, inquit, fratrum manibus dedit: tertium, causam belli hujuscce, ut Romanus Albano imperet, dabo. Male sustinenti arma gladium superne jugulo defigit: jacentem spoliat. Romani ovantes ac gratulantes Horantium accipiunt, eo majore cum gaudio, quo propius metum res fuerat.

Princeps Horatius ibat, trigemina spolia præ se gerens: cui soror virgo, quæ desponsa uni ex Curiatiis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit: cognitoque super humeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Movet feroci juveni animum comploratio sororis in victoria sua, tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio, simul verbis increpans, transfigit puellam: Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum, inquit, oblita fratrum mortuorum, vivique, oblita patriæ. Sic eat, quæcumque Romanum lugebit hostem. Atrox visum id facinus patribus ple-

bique: sed recens meritum facto obstabat: tamen raptus in jus ad regem.

Inter hæc senex juvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia appellatur, ostentans: Huncine, ajebat, quem modo decoratum ovantemque Victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis? quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent: I, lictor, colliga manus, quæ paulo ante armatae imperium populo Rom. pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis hujus: arbori infelici suspende: verbera vel intra pomœrium, modo inter illa pila, et spolia hostium: vel extra pomœrium, modo intra sepulchra Curiatiorum: quò enim ducere hunc juvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta foeditate supplicii vindicent? Non tulit populus nec patris lachrymas, nec ipsius parem in omni periculo animum: absolveruntque admiratione magis virtutis, quam jure causæ.

## Ex libro II. Cap. XII.

Obsidio erat nihilo minus, et frumenti cum summa caritate inopia: sed enī quoque expugnatrum se urbem, spem Porsenna habebat, cum C. Mutius adolescens nobilis : : : : : senatum adiit. Transire Tiberim, inquit, patres, et intrare, si possim, castra hostium volo, non prædo, nec populantium invicem ultor: majus, si dii juvant in animo est facinus. Approbant patres: abdito intra vestem ferro proficiscitur: ubi eo venit, in confertissima turba prope regium tribunal constitit: ibi cum stipendum forte militibus daretur; et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret; eumque milites vulgo adirent; timens sciscitari, uter Porsenna esset, ne, ignorando regem, semetipse aperiret, quis esset: quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat.

Vadenteum inde, qua per trepidam turbam cruento mucrone sibi ipse fecerat viam, cum, concursu ad clamorem facto, comprehensum regii satellites retraxissent ante tribunal regis; destitutus tum quoque inter tantas fortunæ minas, metuendus magis, quam metuens: Romanus sum, inquit, civis. C. Mutium vocant: hostis hostem occidere volui; nec ad mortem minus animi est, quam ad cædēm fuit. Et facere et pati fortia, Romanum est: nec unus in te ego hos animos gessi: longus post me ordo est idem petentium decus. Proinde in hoc discrimen, si juvat,

accingere, ut in singulas horas capite dimices tuo: ferrum hostemque in vestibulo habeas regiae, hoc tibi juventus Romana indicimus bellum. Nullam aciem, nullum prælium timueris. Unum tibi, et cum singulis res erit. Cum res simul ira infensus, pericoloque conteritus, circumdari ignes minitabundus juberet, nisi expromeret propere, quas insidiarum sibi minas per ambages, jaceret: En tibi, inquit, ut sentias, quam vile corpus sit ius, qui magnam gloriam petunt: dextramque accenso ad sacrificium fœculo injicit.

---

## CXX.

### Ex C. Velleji Patervuli lib. II.

**XVIII.** Per ea tempora Mithridates, Ponticus rex, vir neque silendus, neque dicendus sine eura, bello acerrimus, virtute eximius, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis dux, miles manu, odio in romanos Annibal; occupata Asia, necatisque in ea omnibus civibus romanis, quos quidem eadem die atque hora, redditis civitatibus literis, ingenti cum pollicitatione præmiorum, interimi jussерat, quo tempore neque fortitudine adversus Mithridatem, neque fide in romanos quisquam Rhodiis par fuit. Cum terribilis Italiae quoque videretur imminere, sorte obvenit Sullæ Asia provincia.

**XCIV.** Hoc tractu temporum Tib. Claudius Nero, quo trimo, ut prædictimus, Livia Drusi Claudio filia, despondente Nerone, cui ante nupta fuerat, Cæsari nupserat, innutritus cœlestium præceptorum disciplinis, juvenis genere, forma, celsitudine corporis, optimis studiis, maximoque ingenio instructissimus, qui protinus, quantus est, sperari potuerat, visusque prætulerit principem, quæstor undevicesimum annum agens, capessere cœpit rem publicam.

**CXXIII.** Cæsar Augustus, Pompejo Apulejoque consulibus, septuagesimo sexto ætatis anno animam cœlestem cœlo reddidit.

**CXXIV.** Quid tunc homines timuerint, quæ senatus tre-

pidatio, quæ populi confusio, quis orbis metus, in quam arcto salutis exitiique fuerimus confinio, neque mihi exprimere vacat, neque, cui vacat, potest. Id solum voce publica dixisse habeo. Cujus orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus: tantaque unius viri majestas fuit, ut nec bonis, neque contra malos opus armis foret. Una tamen veluti luctatio civitatis fuit pugnantis cum Cæsare; senatus populique romani, ut stationi paternæ succederet; illius, ut potius æqualem civem, quam eminentem liceret agere principem. Tandem magis ratione, quam honore victus est, cum, quidquid tuendum non suscepisset, peritum videret.

## Ex Val. Maximi lib. II. De institutis antiquis.

CAP. I. Diyes et præpotens naturæ regnum scrutatus, iniciam stilum tam nostræ urbis, quam ceterarum gentium prisca, ac memorabilibus institutis. Opus est enim cognosci hujuscævitæ, quam sub optimo principe felicem agimus, quænam fuerint elementa, ut eorum quoque respectus aliquid præsentibus moribus prospicit.

### De majoribus dantibus exemplum virtutis juvenibus.

Majores natu in conviviis ad tibias egregia superiorum opera carmine comprehensa pangebant, quo ad ea imitanda juventutem alacriorem redderent. Quid hoc splendidius? quid etiam utilius certamine? pubertas canis suum honorem reddebat, defuncta virium cursu ætas, ingredientes actuosam vitam favoris nutrimentis prosequebatur. Quas Athenas? quam scholam? quæ alienigena studia huic domesticæ disciplinae prætulerim? Inde oriebantur Camilli, Scipiones, Fabricii, Marcelli, Fabii, ac ne singula imperii nostri lumina simul percurrente sint longior; inde, inquam, coeli clarissima pars, divi fulserunt Cæsares. Adeo autem magna charitate patriæ tenebantur, ut arcana consilia patrum Conscriptorum multis sæculis nemo Senator enuntiaverit.

Quintus Fabius Maximus tantummodo, et is ipse per imprudentiam de tertio Punico bello indicendo, quod secreto in curia erat actum, Publio Crasso, rus petens, domum revertenti in itinere narravit, memor eum triennio ante Quæstorem factum, ignarusque nondum a Censoribus in ordinem senatorum elec-

tum, quo uno modo etiam iis, qui jam honores gesserant, adiutus in curiam dabatur. Sed quamvis honestus error Fabii esset, vehementer tamen a Coss. objurgatus est. Nunquam enim taciturnitatem, optimum ac tutissimum administrandarum rerum vinculum, labefactari volebant.

## Ex Auli sive Aur. Cor. Celsi de re medica lib. I.



Igitur hi, qui rationalem medicinam, profitentur, haec necessaria esse proponunt, abditarum et morbos continentium causarum notitiam, deinde evidentium, post haec etiam naturalium actionum, novissime partium interiorum.

Abditas causas vocant, in quibus requiriuntur; ex quibus principiis nostra corpora sint, quid secundam, quid adversam valeditudinem faciat. Neque enim credunt posse eum scire, quomodo morbos curare conveniat, qui, unde hi sint, ignoret. Evidentes vero causas appellant, in quibus querunt, initium morbi calor attulerit, an frigus: fames an satietas: et quae similia sunt. Occursum enim vitio dicunt eum, qui originem non ignorari.

Naturales vero corporis actiones appellant, per quas spiritum trahimus, et emittimus, cibum potionemque, et assumimus et concoquimus; itemque per quas eadem haec in omnes membrorum partes digeruntur. Cum in interioribus partibus et dolores, et morborum varia genera nascantur, neminem putant his adhibere posse remedia, quae ipse ignoret. Necessarium ergo esse incidere corpora mortuorum, eorumque viscera atque intestina scrutari: longeque optime fecisse Herophilum et Erasistratum, qui nocentes homines a regibus ex carcere acceptos vivos inciderint, considerarintque, etiam spiritu remanente, ea quae natura ante clausisset.

## Ex Julii Obsequentis Prodigiorum libro.



M. Marcello P. Sulpicio Coss.

In Campania multis locis terra pluit. In Prænestino cruenti ceciderunt imbres, Vejenti lana ex arboribus nata. Terracinae in aede Minervæ mulieres tres, quae operatae sedebant, fulmine exanimatae. Ad lucum Libilitæ in statua equestri ænea ex ore, et pede aqua manavit diu. Galli Ligures deleti, comitia

cum ambitiose fierent, et ob hoc senatus in Capitolio haberetur, milvus volans, mustellam raptam de cella Jovis, in medio consessu patrum misit. Sub idem tempus aedes Salutis de caelo tacta. In colle Quirinali sanguis terra manavit. Lanuvii fax in caelo nocte conspecta, fulmine pleraque discussa. Cassini et Sol per aliquot horas noctis visus. Theani Sidicini puer cum quatuor manibus, et totidem pedibus natus. Urbe strata, pax domi forisque fuit.

---

## CXXII.

### **Ex C. Cornelii Taciti Agricolæ vita.**

**XLIV.** Natus erat Agricola Cajo Cæsare tertium consulē idibus Junii: excessit LVI anno, X. Cal. Septembres, Collega Priscoque coss. Quod si habitum quoque ejus posteri noscere vident, decentior, quam sublimior fuit. Nihil metus in vultu; gratia oris supererat: bonum virum facile crederes, magnum libenter. Et ipse quidem, quamquam medio in spatio integræ ætatis ereptus, quantum ad gloriam, longissimum ævum peregit. Quippe et vera bona, quæ in virtutibus sita sunt, impleverat, et consularibus ac triumphalibus ornamenti prædicto; quid aliud adstruere fortuna poterat? Opibus nimis non gaudebat, speciosæ contigerant: filia atque uxore superstitionibus, potest videri etiam beatus incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis futura effugisse.

Nam sicuti durare in hac beatissimi sæculi luce, ac principem Trajanum videre, augurio votisque apud nostras aures omninabatur: ita festinatæ mortis grande solatium tulit, evasisse possum illud tempus, quo Demitianus non jam per intervalla aspiramenta temporum, sed continuo et velut uno ictu rempublicam exhausit.

**XLV.** Non vidit Agricola obsessam curiam, et clausum armis senatum, et eadem strage tot consularium cædes, tot nobilissimarum foeminarum exsilia et fugas.

Nero tamen substraxit oculos, jussitque seclera, non spectavit: præcipua sub Domiciano miseriarum pars erat, videre et as-

pici: cum suspitia nostra subscriberentur, cum denotandis tot hominum palloribus sufficeret sœvus ille vultus et rubor, a quo se contra pudorem muniebat. Tu vero felix Agricola non vitæ tantum claritate, sed etiam opportunitate mortis, ut perhibent, qui interfuerunt novissimis sermonibus tuis, constans et libens fatum exceperisti, tamquam pro virili portione innocentiam principi donares. Sed mihi filiæque præter acerbitudinem parentis erexit auget moestitiam, quod assidere valetudini, fovere deficiente, satiari vultu, complexu, non contigit.

## Ex Annalium lib. I. Cap. LXV.

Neque tamen Arminius, quamquam libero incursu, statim prorupit. Sed ut hædere cœno fossisque impedimenta, turbati circum milites, incertus signorum ordo, usque tali in tempore, sibi quisque properus, et lenta adversum imperia aures, irrumperem germanos jubet, clamitans: En Varus et eodem iterum facto victæ legiones! Simul hæc, et cum delectis scindit agmen, equisque maxime vulnera ingerit. Illi sanguine suo et lubrico paludum lapsantes, excussis rectoribus disjicere obvios, proterere jacentes: plurimus circa aquilas labor, quæ neque adversum ferrari ingruentia tela, neque figi limosa humo poterant. Cæcina dum sustentat aciem, suffosso equo delapsus circumveniebatur, ni prima legio sese opposuisset. Juvit hostium aviditas, omissa cæde, prædam sectantium: enisæque legiones, vesperascente die, in aperta et solida. Neque is miseriarum finis: struendum vallum, petendus agger: amissa magna ex parte, per quæ egeritur humus, aut exciditur cespes. Non tentoria manipulis, non fomenta sauciis: infectos cœno, aut crurore cibos dividentes, funestas tenebras, et tot hominum millibus unum jam reliquum diem lamentabantur.

XLVI. Forte equus abruptis vinculis vagus, et elamore territus, quosdam occurrentium obturbavit: tanta inde consternatio inrupisse germanos credentium, ut cuncti ruerent ad portas, quarum decumana maxime petebatur, aversa hosti, et fugientibus tutior. Cæcina, comperto vanam esse formidinem, cum tamen neque auctoritate, neque precibus, ne manu quidem obsistere, aut retinere militem quiret, projectus in limine portæ, miseratione demum, quia per corpus legati eundem erat, clausit viam: simul tribuni et centuriones falsum pavorem docuerunt.

## Ex Historiarum lib. IV.

**LVII.** Galli, duum millium spatio distantibus campis, con-sedere. Illuc commeantum centurionum militumque emebantur animi: ut flagitium incognitum, romanus exercitus in externa verba jurarent, pignusque tanti sceleris, nece aut vinculis legatorum daretur. Vocul, quamquam plerique fugam suadebant, audendum ratus, vocata concione, in hunc modum disseruit.

**LVIII.** Nunquam apud vos verba feci, aut pro vobis sollicitior, aut pro me securior. Nam mihi exitium parari, libens audio: mortemque tot malis (hostium) vi finem misericarum exspecto. Vestri me pudet, miseretque, adversus quos non prælium et acies parantur: id enim fas armorum, et jus hostium: bellum cum populo romano vestris se manibus gesturum, Classicus sperrat: imperiumque et sacramentum Galliarum ostentat. Adeo nos, si fortuna in præsens virtusque deseruit, etiam vetera exempla deficiunt. Quoties romanae legiones perire præoptaverint, ne loco pellerentur? Socii sæpe nostri, excendi urbes suas, seque cum conjugibus ac liberis crèmari pertulerunt. Neque aliud pretium exitus, quam fides famaque. Tolerant cum maxime inopiam obsidiumque apud Vetera legiones, nec terrore aut promissis demoventur.

Nobis, super arma et viros, et egregia castrorum munita, frumentum et commeatus quāvis longo bello pares. Pecunia nūper, etiam donativō sufficit: quod sive a Vespasiano, sive a Vitellio datum interpretari mavultis, ab imperatore certe romano accepistis. Tot bellorum victores, apud Geldubam, apud Vetera, fuso toties hoste, si pavetis aciem, indignum id quidēm. Sed est vallum, murique, et trahendi artes, donec e proximis provinciis auxilia, exercitusque concurrant. Sane ego displiceam. Sunt alii legati, tribuni, centurio denique aut miles. Ne hoc prodigium toto terrarum orbe vulgetur, vobis satellitibus Civilem et Classicum Italiam invasuros.

An si ad mœnia urbis Germani Gallique duxerint; arma patriæ inferetis? Horret animus tanti flagitii imagine. Tutori Trevero agentur excubiae? Signum belli Batavus dabit? Et Germanorum catervas supplebitis? qui deinde sceleris exitus? Cum romanae legiones contra direxerint; trasfugæ e transfugis, et proditores e proditoribus, inter recens et vetus sacramentum invisi deis

errabitis? Te, Jupiter optime maxime, quem per octingentos vi-  
ginti annos, tot triumphis coluimus, te Quirine, romanæ parens  
urbis, precor venerorque, ut si vobis non fuit cordi, me duce hæc  
castra incorrupta et intemerata servari; at certe pollui fœdari-  
que a Tute et Classico, ne sinatis: militibus romanis, aut inno-  
centiam detis, aut maturam et sine noxa pœnitentiam.

## CXXIV.

### Ex Q. Curtii Rufi lib. IV. Cap. XXVI.

Alexander, Legatis excedere tabernaculo jussis, quid place-  
ret, ad consilium refert. Diu nemo, quid sentiret, ausus est di-  
cere, incerta Regis voluntate. Tadem l'armenio: Ante suassem,  
ait, ut captivos apud Damascum redimentibus redderes: ingentem  
pecuniam potuisse redigi ex iis, qui multi vinci virorum fortium  
occupaverat manus. Et nunc magnopere censerem, ut unam a-  
num, et duas puellas itinerum, agminumque impedimenta, tri-  
ginta millibus talentum auri permutes. Opimum Regnum occupa-  
ri posse conditione, non bello. Nec quemquam alium inter Is-  
trum, et Euphratem possedisse terras, ingenti spatio, intervallo  
que discretas Macedoniam potius respiceres, quam Bactra, et  
Indos intuereris.

Ingrata oratio Regi fuit. Itaque, ut finem dicendi fecit: Et  
ego, inquit, pecuniam, quam gloriam mallem, si Parmenio es-  
sem. Nunc Alexander, de paupertate securus sum, et me non  
mercatorum memini esse, sed Regem. Nihil quidem habeo ve-  
nale; sed fortunam meam utique non vendo. Captivos si placet redi-  
di, honestius dono dabimus, quam pretio remitteremus.

Introductis deinde Legatis, ad hunc modum respondit. Nun-  
ciate Dario, gratiarum actionem apud hostem supervacaneam esse,  
et me que fecerim clementer, et liberaliter, non amicitia ejus tri-  
buisse, sed naturæ meæ, nec adversus calamitates, sed adversus hos-  
tium vires contendere. Bellum cum captivis, et feminis gerere non  
soleo; armatus sit oportet, quem oderim. Quod si saltem pacem bo-  
na fide peteret, deliberarem forsitan, an darem. Verum enim vero

cum modo milites meos literis ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia sollicitet; ad internacionem mihi persequendus est, non ut justus hostis, sed ut percusor et veneficus. Conditiones vero pacis, quas fertis, si accepero, victorem eum faciunt. Quae post Euphratem sunt, liberaliter donat. Ubi igitur me affamini? nempe ultra Euphratem sum. Summum ergo deditis, quam promittit, terminum castra mea transeunt. Hinc me depellite, ut sciam vestrum esse, quod ceditis. Eadem liberalitate dat mihi filiam suam; nempe quam scio alicui servorum ejus nupturam. Multum vero mihi praestat, si me Mazæo generum præponit. Ite, nunciate Regi vestro, et quæ amisit, et quæ adhuc habet, præmia esse belli. Hoc regente utriusque terminos Regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis assignatura fortuna est.

### Ex libro VII. Cap. XXII.

Jamque ad transeundum omnia aptaverant, cum Legati Scytharum viginti, more gentis, per castra equis vecti, nunciare jubent Regi, velle ipsos ad eum mandata perferre. Admissi in tabernaculum, jussique considere, in vultu Regis defixerant oculos, credo, quia magditudine corporis animum aestimantibus modicus habitus haudquam famæ par videbatur. Scythis autem, non ut ceteris Barbaris, rudis, et inconditus sensus est. Quidam eorum sapientiam capere dicuntur, quantamcumque gens capit semper armata. Sicque locutus esse apud Regem memoriae proditum est, abhorrentia forsitan moribus nostris, et tempora et ingenia cultiora sortitis. Sed ut possit oratio eorum sperni, tamen fides nostra non debet, qui utcumque tradita sunt, incorrupta perferemus.

Igitur unum ex his maximum natu ita locutum accepimus. Si Dii habitum corporis tui aviditati animi parem esse voluisserint, orbis te non caperet: altera manu Orientem, altera Occidentem contingeres, et hoc assecutus scire velles, ubi tanti Numinis fulgor conderetur. Sic quoque concupiscis, quæ non capis. Ab Europa petis Asiam, ex Asia transis in Europam: denique, si humanum genus omne superaveris, cum silvis et nivibus, et fluminibus ferisque bestiis gesturus es bellum.

Quid? tu ignoras, arbores magnas diu crescere, una hora extirpari? Stultus est, qui fructus earum spectat, altitudinem non

metitur. Vide, ne, dum ad cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos comprehendenteris, decidas. Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fit et ferrum rubigo consumit. Nil tam firmum est, cui periculum non sit etiam ab invalido. Quid nobis tecum est? nunquam terram tuam attigimus. Qui sis, unde venias, licetne ignorare in vastis silvis viventibus? Nec servire ulli possumus, nec imperare desideramus.

Bona nobis data sunt, ne Scytharum gentem ignores, jugum boum, aratrum, et hasta, et sagitta, et patera. His utimur et cum amicis, et adversus inimicos. Fruges amicis damus, boum labore quæsitas: patera cum iisdem vinum Diis libamus: inimicos sagitta eminus, hasta cominus petimus. Sic Syriae Regem, et postea Persarum, Medorumque superavimus, patuitque nobis iter usque in Ægyptum. At tu, qui te gloriaris ad latrones persequendos venire, omnium gentium, quas adisti, latro es. Lydiam cepisti: Syriam occupasti: Persidem tenes: Bactrianos habes in potestate: Indos petisti. Jam etiam ad pecora nostra avaras, et insatiabiles manus porrigit.

Quid tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, ut quo plura haberet, acrius, quæ non habes, cuperes. Non succurrit tibi, quandiu circum Bactra haereas? Dum illos subigis, Sogdiani bellare coeperunt: bellum tibi ex victoria nascitur. Nam ut major, fortiorque sis, quam quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo vult. Transi modo Tanaim; scies, quam late pateant, nunquam tamen consequeris Scythes. Paupertas nostra velocior erit, quam exercitus tuus, qui prædam tot nationum vehit. Rursus, cum procul abesse nos credes, videbis in tuis castris. Eadem enim velocitate et sequimur, et fugimus. Scytharum solitudines Graecis etiam proverbiis audio eludi. At nos deserta, et humano cultu vacua, magis, quam urbes, et opulentos agros sequimur. Proinde fortunam tuam pressis manibus tene. Lubrica est, nec invita tene-ri potest. Salubre consilium sequens, quam præsens, tempus ostendet melius. Impone felicitati tuae frenos; facilius illam reges. Nostri sine pedibus dicunt esse fortunam, quæ manus, et pinnas tantum habet: cum manus porrigit, pinnas quoque comprehen-dere non sinit.

Denique, si Deus es, tribuere mortalibus beneficia debes, non sua eripere: sin autem homo es, id quod es, semper esse te cogita. Stultum est eorum meminisse, propter quæ tui oblivisceris.

Quibus bellum non intuleris, bonis amicis poteris uti. Nam et firmissima inter pares amicitia est, et videntur pares, qui non fecerunt inter se periculum virium. Quos viceris, amicos tibi esse, cave, credas. Inter dominum, et servum nulla amicitia est. Etiam in pace, belli tamen jura servantur. Jurando gratiam Scythas sancire ne credideris. Colendo fidem jurant. Græcorum ista cautio est, qui acta consignant, et Deos invocant. Nos religionem in ipsa fide novimus. Qui non reverentur homines, fallunt Deos. Nec tibi amico opus est, de cuius benevolentia dubites. Ceterum nos et Asie, et Europæ custodes habebis. Bactra nisi dividat Tanais, contingimus. Ultra Tanaim, usque ad Thraciam eolumus. Thraciae Macedoniam conjunctam esse fama fert. Utrinque Imperio tuo finitimos, hostes an amicos velis esse considera.

## CXXVI.

## Ex C: Suetonii Tranquilli libro XI.

## D. Titus imperator Augustus.

De amore omnium erga Titum.

I. Titus cognomine paterno, amor ac deliciæ generis humani, tantum illi ad promerendam omnium voluntatem, vel ingenii, vel artis, vel fortunæ superfuit; et, quod difficillimum est, in imperio, quando privatus, atque etiam sub patre principe, ne odio quidem, nedum vituperatione publica caruit.

Administratio principatus cum patre.

VI. Neque ex eo destitit participem atque tutorem imperii agere. Triumphavit cum patre, censuramque gessit una. Egitque aliquanto incivilius, et violentius: siquidem suspectissimum, quemque sibi, submissis qui per theatra, et castra quasi ex consensu ad paenam deposcerent, haud cunctanter oppressit. In his A. Cæcinam consularē virum vocatum ad cœnam, ac vixdum triclinio egressum confodi jussit. Sane urgente discrimine,

quum etiam chirographum ejus præparatae apud milites con-jurationis deprehendisset. Quibus rebus sicut in posterum securitati satis cavit, ita ad præsens plurimum traxit invidiae, ut non temere quis tam adverso rumore, magisque invitis omnibus transierit ad principatum.

### Mutatio in melius.

VII. Præter sævitiam, suspecta in eo etiam luxuria erat: quod ad medium noctem comessationes cum profusissimo quoque familiarium extenderet: suspecta et rapacitas, quod constabat in concionibus patris nundinari præmiarie solitum; denique propalam alium Neronem, et opinabantur et etiam prædicabant. At illi ea fama pro bono cessit, conversaque est in maximas laudes: neque ullo vitio reperto, et contra virtutibus summis.

Berenicem statim ab urbe dimisit invitus invitam. Quosdam e gratissimis delicatorum, quamquam tam artifices saltationis, ut mox scenam tenuerint, non modo favore prolixius, sed spectare in publico omnino cœtu supersedit. Nulli civium quidquam ademit, abstinuit alieno ut si quis unquam: ac ne concessas quidem ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor.

### Natura benevolentissimus.

VIII. In ceteris vero desideriis animum hominum obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret; quin et admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur, quam præstare posset: Non oportere, ait, quemquam a sermone principis tristem descendere. Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam, meritoque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidii. Ne quod populatatis prætermitteret, nonnunquam in thermis suis admissa plebe lavit.

Quædam sub eo fortuita ac tristia acciderunt, ut conflagratio Vesevi montis in Campania, et incendium Romæ per triduum totidemque noctes: item pestilentia, quanta non temere alias. In his tot adversis, ac talibus non modo principis sollicitudinem, sed parentis affectum unicum præstítit, nunc consolando per edicta, nunc opitulando, quatenus suppeteret facultas.

\*

**Ex L. Annæ Flori lib. II cap. II.**

Marcus Attilius Regulus duce jam in Africam navigabat bellum. Nec deerant, qui ipso Punici matris nomine ac terrore deficerent, augente insuper Tribuno Mannio metum, in quem nisi paruisset, securi districta, Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam. Mox ventis remisque properatum est: tantusque terror hostici adventus Poenis fuit, ut apertis pene portis Carthago caperetur. Prima belli præmium fuit civitas Clypea: prima enim a punico litore quasi arx et specula procurrit. Et haec, et trecenta amplius castella vastata sunt. Nec cum hominibus, sed cum monstris quoque dimicatum est; quum quasi in vindictam Africæ nata miræ magnitudinis serpens, posita apud Bagradam castra vexaret.

Sed omnium victor Regulus, quum terrorem nominis sui late circumulisset; quumque magnam vim juventutis, ducesque ipsos, aut cecidisset, aut haberet in vinculis; classemque ingenti præda onustam, et triumpho gravem in urbem præmisisset, jam ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidio, ipsisque portis inhærebat. Hic paululum circumacta fortuna est; tantum ut plura essent romanae virtutis insignia: cuius fere magnitudo calamitatis approbatur. Nam conversis ad externa auxilia hostibus, quum Xantippum illis ducem Lacedæmon misisset, a viro militiæ peritissimo vincimur.

Tum fœda clade, romanisque usu incognita, vivus in manus hostium venit fortissimus imperator. Sed ille quidem par tantæ calamitati fuit. Nam nec punico carcere infractus est, nec legatione suscepta. Quippe diversa, quam hostes maudaverant, censuit; ne pax fieret, nec commutatio captivorum recipetur. Sed nec illo voluntario ad hostes suos redditu, nec ultimo sive carceris, sive crucis supplicio deformata majestas, imo his omnibus admirabilior; quid aliud quam victus de victoribus, atque etiam quia Carthago non cesserat, de fortuna triumphavit? Populus autem romanus multo acrior infestiorque pro ultione Reguli, quam pro victoria fuit.

**Ex lib III cap. XXII.**

Bellum Sertorianum quid aliud, quam Syllanæ proscriptio-

nis hæreditas fuit? hostile potius, an civile dixerim, nescio: quippe quod Lusitani Celtiberique romano gesserint duce. Exul et profugus feralis illius tabulæ, vir summæ quidem, sed calamitosæ virtutis, malis suis maria terrasque permiscuit: et jam Africæ, jam Balearibus insulis fortunam expertus, missusque in Oceanum, Fortunatas insulas penetravit: tandem Hispaniam armavit. Viro cum viris facile convenit. Nec alias magis apparuit hispani militis vigor, quam romano duce. Quamquam ille non contentus Hispania, ad Mithridatem quoque Ponticosque res pexit, regemque classe juvit. Et quid futurum fuit? satis tanto hosti uno imperatore resistere res romana non potuit. Additus Metello Cnaeus Pompejus. Hi copias viri diu, et anticipi semper acie attrivere: nec tamen prius bello, quam suorum scelere et insidiis, extinctus est.

### CXXVIII.

### Ex M. Juniani Justini lib. IX.

VIII. Decessit Philippus XL et VII annorum, cum annis XXV regnasset. Huic Alexander filius successit et virtute et vitiis patre major. Itaque vincendi ratio utriusque diversa: hic aperte, ille artibus bella tractabat. Deceptis ille gaudere hostibus, hic palam fusis: prudentior ille consilio, hic animo magnificientior. Iram pater dissimulare, plerumque etiam vincere: hic ubi exarsisset, nec dilatio ultionis, nec modus erat. Vini nimis uterque avidus: sed ebrietatis diversa vitia: patri mos erat etiam de convivio in hostem procurrere, manum conserere, periculis se temere offerre: Alexander non in hostem, sed in suos sæviebat. Quamobrem Philippum, saepe vulneratum prælia remisere: hic aulicorum intersector convivio frequenter excessit. Regnare ille cum amicis solebat: hic in amicos regna exercebat. Amari pater malle, hic metui. Literarum cultus utriusque similis; solertiæ pater majoris, hic fidei: verbis atque oratione Philippus, hic rebus moderatior. Parcendi victis filio animus et promptior et honestior: frugalitati pater, luxuriæ filius magis deditus erat. Quibus artibus orbis imperii fundamenta pater jecit, operis totius gloriam filius consummavit.

**Ex libro XXXVIII.**

III. Tunc ad concionem milites vocat (Mithridates), eosque vanis exhortationibus ad romana bella sive Asiana incitat. Quam orationem dignam duxi, cuius exemplum brevitati hujus operis insererem, quam obliquam Pompejus Trogus exposuit; quoniam in Livio et in Sallustio reprehendit, quod, conciones directas pro sua oratione opere suo inserendo, historiae modum excesserint.

IV. Optandum sibi fuisse, ait, ut de eo liceret consulere, bellumne sit cum romanis, an pax habenda: quin vero sit resistendum impugnantibus, nec eos quidem dubitare, qui spe victoriae careant. Quippe adversus latronem, si nequeant pro salute, pro ultione tamen sua, omnes ferrum stringere. Cæterum quia non id agitur, an liceat quiescere, non tantum animo hostiliter, sed etiam prælio congressis, consulendum, qua ratione ac spe cœpta bella sustineant. Esse autem sibi victoriae fiduciam, si sit illis animus: romanosque vinci posse, cognitum non sibi magis, quam ipsis militibus, qui et in Bithynia Aquilum, et Maltinum in Cappadocia fuderint. At si quem aliena magis exempla, quam sua experimenta moveant, audire se a Pyrrho rege Epiri, non amplius quam quinque millibus Macedonum instructo, fusos tribus præiis romanos. Audire Annibalem sexdecim annis Italiam victorem inmoratum; et quin ipsam caperet urbem, non romanorum illi vires obstitisse, sed domesticæ æmulationis atque invidiae studium. Audire populos Transalpinæ Galliae Italiam ingressos, maximis eam plurimisque urbibus possidere; et latius aliquanto solum finium, quam in Asia, quæ dicatur imbellis, eosdem Gallos occupasse; nec victam solum dici sibi Romam a Gallis, sed etiam captam, ita ut unius illis montis tantum cacumen relinqueretur, nec bello hostem, sed pretio remotum: Gallorum autem nomen, quod semper romanos terruit, in partem virium suarum ipse numeret.

**Ex Pomponii Melæ lib. II cap. VI. Hispania.**

Pirenaeus primo hinc in Britannicum procurrit oceanum: tum in terras fronte conversus, Hispaniam irrumpit, et minore ejus parte ad dextram exclusa trahit perpetua latera continuus, donec per omnem provinciam longo limite immissus, iu ea litora,

quæ occidenti sunt adversa, perveniat. Ipsa Hispania, nisi qua Gallias tangit, pelago unque incincta est: ubi illis adhæret, maxime angusta, paulatim se in nostrum mare et oceanum extendit, magis magisque latior ad occidentem abit, ac fit ibi latissima. Viris, equis, ferro, plumbo, ære, argento, auroque tam abundans, et adeo fertilis, ut sicubi ob penuriam aquarum effœta, et sui disimilis est, linum tamen aut spartum alat. Tribus autem est distincta nominibus, parsque ejus Tarraco-nensis, pars Bætica, pars Lusitania vocatur.

Et proxima inter se Europæ atque Africæ litora montes efficiunt, ut initio diximus, columnæ Hercul's Abyla et Calpe, uterque quidem, sed Calpe magis, et pene totus in mare prominens. Is mirum in modum concavus, ab ea parte, qua spectat occasum, medium fere latus aperit, atque inde ingressus, totus admodum pervius prope quantum patet. Sinus et specus ultra est, in eoque Cartheia; ut quidam putant, aliquando Tartessos, et quam transvecti ex Africa Phœnices habitant, atque unde nos sumus, *cingente freto* (1), Mellaria et Bello et Besippo, usque ad Junonis promontorium oram freti occupat. Illud jam in occidentem et oceanum obliquo jugo excurrens, atque ei, quod in Africa Ampelusiam esse dixeramus, adversum, qua nostra maria sunt, finit European.

## Ex Sexti Julii Frontini de Aqueductibus lib. II



Hæc copia aquarum ad Nervam imperatorem usque computata, ad hunc modum describebatur: nunc providentia diligentissimi principis, quidquid aut fraudibus aquariorum intercipiebatur, aut inertia pervertebat, quasi nova inventione fontium accredit, ac prope publicata ubertas est; tum et sedula d'inde partitione distributa, ut regionibus, quibus singulæ serviebant aquæ, plures darentur, tamquam Cælio et Aventino, in quos sola Claudio per arcus Neronianos decebatur.

Sentit hanc curam imperatoris piissimi Nervæ principis sui regina et domina orbis in dies, quæ terrarum Dea consistit, cui par nihil, et nihil secundum, et sentiet salubritas ejusdem æternæ urbis, aucto castellorum, operum, munerum, et lacuum numero,

1. Alii legunt Cingenteratum. Alii Tigenterat. Alii ex gente ea. Tum: Alii, Tingi contraria; Alii omittunt hæc verba.

nec minus ad privatos commodum, quod ex incremento beneficio-  
rum ejus diffunditur.

### Ex Stratagematum lib. I cap. I.

M. Porcius Cato devictas a se Hispaniæ civitates, existima-  
bat in tempore rebellaturas, fiducia murorum: scripsit itaque sin-  
gulis, ut diruerent munitamenta, minatus bellum, nisi confessim  
obtemperassent: epistolasque universis civitatibus, eodem die  
reddi jussit. Unaquæque urbium id sibi soli credidit imperatum.  
Contumaces conspiratio potuisset facere, si omnibus idem denuncia-  
ri notum foisset.

### Ex lib. III.

Hircius Cos. ad Decimum Brutum, qui Mutinæ ab Anto-  
nio obsidebatnr, literas subinde misit plumbo scriptas, quibus  
ad brachium religatis, milites Scultellam amnem transnabant.  
Idem columbis, quas inclusas ante tenebris et fame affecerat,  
epistolas seta ad collum religabat, easque a propinquo, in quan-  
tum poterat, mœnibus loco emittebat: illæ lucis cibique avidæ,  
altissima ædificiorum petentes excipiebantur a Bruto, qui eo mo-  
do de omnibus rebus certior siebat; utique postquam disposito  
quibusdam locis cibo columbas illuc desolare instituerat.

---

### CXXX.

### Ex Asconii Pediani in orationem *pro Milone* enarratione.

Sortitio deinde judicum, ut primo die, facta est. Post, tan-  
tum silentium toto foro fuit, quantum esse in aliquo foro posset,  
Tum intra horam secundam accusatores coeperunt dicere, Appius  
major et M. Antonius, et P. Valerius Nepos, Usi sunt ex lege  
horis duabus. Respondit his unus M. Cicero. Et cum quibusdam  
placuisset, ita defendi crimen, interfici Clodium pro republica

fuisse, quam formam M. Brutus sicutus est in ea oratione, quam pro Milone composita et edidit, quamvis non egisset; Ciceroni id non placuit, quod non qui bono publico damnari, idem et iam occidi indemnatus posset. Itaque cum insidias Milonem Clodio fecisse posuissent accusatores, quia falsum id erat, (nam forte illa rixa commissa fuerat) Cicero apprehendit, et contra Clodium Miloni fecisse insidias disputavit.

Cicero cum inciperet dicere, exceptus est acclamatione Clodianorum, qui se continere ne me uero quidem circumstantium militum potuerunt: itaque noua ea, qua solitus erat, constantia dixit. Manet autem illa quoque excepta ejus oratio. Scripsit vero banc, quam legimus, ita perfecte, ut iure prima haberi possit.

### Ex Auli Gellii lib. VI. cap. VII.

Accæ Larentiæ et Cajæ Tarratiae, sive illa Suffetia est, nomina in antiquis annalibus celebria sunt. Earum alteræ post mortem, Tarratiae autem vivæ amplissimi honores a Pop. Rom. habiti. Et Tarratiæ quidem virginem Vestæ fuisse, lex Horatia testis est.

Sed Sabinus Massurius, in primo memorabilium, seculus quosdam historiæ scriptores, Accam Larentiam Romuli nutricem fuisse dicit. Ea, inquit, mulier ex XII filiis maribus unum morte amisit. In illius locum Romulus Accæ Larentiæ sese filium dedit, seque et cæteros ejus filios fratres Arvales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit, fratrum Aryalium numero XII, cuius sacerdotii insigne est, spicca corona, et albæ infulæ.

### Ex Censorini de die natali libro cap. XV.

#### De tempore et ævo.

Tempus autem non diem tantummodo, id est mensem vel annum appello, sed et quod quidam lustrum, aut unum annum magnum vocant, et quod seculum nominant. Ceterum de ævo, quod est tempus unum et maximum, non multum est, quod in præsentia dicatur. Est enim immensum, sine origine, sine fine, quod eodem modo semper fuit, semper futurum est, neque ad quemquam hominum magis, quam ad alterum pertinet. Hoc in tria dividitur tempora; præteritum, præsens, futurum; ex quibus

præteritum initio caret, exitu futurum. Præsens autem, quod medium est, adeo exiguum est et incomprehensibile, ut nullam accipiat longitudinem, neque aliud esse videatur, quam transacti futurique conjunctio: adeo porro instabile, ut ibidem sit nusquam, et quidquid transcurrit, a futuro decerpit.

## Ex Lucii Ampelii libro memoriali cap. L.

### De rebus publicis.

Rerum publicarum tria genera sunt: regium, optimatum, populare. Aut enim sub regum sunt potestate, ut Seleucia Parthorum; aut senatus, ut Massilia Gallorum; aut se ipsi regunt, ut Athenienses solebant. Est et quartum genus, quod romani commenti sunt; ut ex his tribus unum efficerent. Nam et regiam potestatem consules habent, et plebs habet suffragiorum potestatem.

## Ex Vegetii libro II. Cap. XXIII.

Legionis ordinatione digesta, ad exercitium revertamur: unde sicut jam dictum est, exercitus nomen accepit. Juniores quidem et novi milites, mane et post meridiem ad omne genus exercebantur armorum. Veteres autem et eruditii sine intermissione semel in die exercebantur in armis. Neque enim longitudo ætatis, aut annorum numerus artem bellicam tradit, sed continua exercitationis meditatio: post quanta volueris stipendia, inexcitatus miles semper est tyro. Idcirco armaturam, quæ festis diebus exhibetur in circo, non tantum, qui sub Campidoce sunt, sed omnes æqualiter contubernales quotidiana meditatione discebant, et corporis velocitatem.

## Ex Vegetii artis veterinariae lib. II.

Mulomedicinae ars jamdudum vitio cupiditatis, et exiguate mercedis, nullo studiosius discente, collapsa est. Numquid vero exemplo Hunnorum sive gentium aliarum, artis ipsius etiam usus intercidet, dum homines refugientes expensas, barbarorum consuetudinem imitari velle se simulant: et incurata animalia hibernis pascuis, et negligentiae casibus dedunt? Quæ res nulli compendium, pluri mis attulit damnum. Diligens itaque paterfami-

lias, cum mortibus animalium suorum, et cum medicinæ expensis atque mercedibus faciat rationem, intelliget, unius vilissimi jumenti pretium ad multorum, quæ sine dubio peritura sunt, si curata non fuerint, salutem posse sufficere.

### Ex Palladii lib. III. Februario, cap. XXV.

Plantas pirorum mense Februario locis frigidis ponemus: calidis vero Novembri; sed mense Novembri pira locis tepidis conserenda sunt, ut solo juventur irriguo: ita et florem plurimum proferent, et magnitudinem pomi turgentis acquirent: nasci tamen tali solo maxime diligunt, quale vinetis diximus convenire; sed læto solo et validas arbores, et fructus plurimos consequemur. Lapidosi generis pira vitium mutare creduntur, si terris mollibus conserantur. Sed pirum plantis serere prope tardus eventus est. : : : Hoc autem interest, quod, quæ plantis suis seruntur, dulcedinem ac teneritatem servant, diu tamen servata non durant: insita vero moram temporis sustinebunt. Spatia inter piros triginta pedum mensura discernat.

### Ex Aurelii Macrobii Saturnal. lib. I cap. XVI

Sed quia nos ad commemorationem dierum ordo deduxit, de hoc quoque, quod Hori nostri consultatio continet, pauca dicenda sunt. Festi diis dicati sunt; profesti hominibus ob administrandam rem privatam, publicamque concessi. Intercisi deorum hominumque communes sunt. Illorum enim dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est. Ius dicere. Fasti sunt, quibus licet fari prætori tria verba solemnia: do, dico, addico. His contrarii sunt nefasti. Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet. Et fastis quidem lege agi potest: cum populo non potest: comitialiibus utrumque potest. Comperendini. quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui judicii causa cum peregrino instituuntur, ut Plautus in Curculione: Status, condictus cum hoste intercessit dies. Præliares autem omnes, quibus fas est res repetrere, vel hostem lacessere.

### Ex Fulgentii Mythologici lib. III.

#### De Psyche et Cupidine.

Sed quia cupiditas est boni et mali, cupiditas animam diligit

et ei velut in conjunctionem miscetur: quam persuadet, ne suam faciem videat, id est cupiditatis delectamenta discat: unde et Adam, quamvis videat nudum se, non videt, donec de concupiscentiae arbore comedat. Neve suis sororibus, id est, carni et libertati, de suæ formæ curiositate perdiscenda consentiat: sed illarum compulsamento percita, lucernam de sub modo ejecit, id est, desiderii flammam in pectore absconsam depellat; visam taliter dulcem amat, ac diligit, quam ideo lucernæ ebullitione dicitur incendisse, quia omnis cupiditas, quantum diligitur, tantum ardescit, et peccatricem suæ carni confingit maculam.

### CXXXII.

## Ex Aelii Spartiani vita Adriani imperatoris.

I. Origo imperatoris Adriani vetustior, a Picentibus; posterior ab Hispaniensibus manat: siquidem Adriani ortos majores suos, apud Italicam, Scipionum temporibus resedisse in libris vita suæ Adrianus ipse commemorat.

III. Quæsturam gessit Trajano quater et Arunculejo Coss., in qua, quum orationem imperatoris in senatu agrestius pronuncians risus esset, usque ad summam peritiam et facundiam latinis operam dedit.

IV. Nec desunt, qui factione Plotinæ, mortuo jam Trajano, Adrianum in adoptionem adscitum esse prodiderint, supposito, qui pro Trajano fessa voce loqueretur.

XIV. Antinoum suum, dum per Nilum navigat, perdidit, quem muliebriter levavit. :: : et græci quidem, volente Adriano, eum consecraverunt, oracula per eum dari asserentes, que Adrianus ipse composuisse jactatur. Fuit enim poematum et litterarum omnium studiosissimus, arithmeticæ, geometriæ, picturæ, peritisimus. Nam et de suis dilectis multa versibus composuit, amatoria carmina scripsit.

XV. Et quamvis esset oratione et versu promptissimus, et in omnibus artibus peritissimus, tamen professores omnium artium semper ut doctor risit, contempsit, obtrivit. Cum iis ipsis professo-

ribus et philosophis, libris vel carminibus invicem editis, saepe certavit. Et Favorinus quidem, quom verbum ejus quoddam ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset, arguentibus amicis, quod male cederet Adriano, de verbo quod idonei auctores usurpassent, risum jucundissimum movit. Ait enim: Non recte suadetis familiares, qui non patimini me illum doctorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.

XVI. Famae celebriis Adrianus tam cupidus fuit, ut libros vitae sue scriptos a se, libertis suis litteratis dederit, jubens ut eos suis nominibus publicarent: nam et Phlegontis libri Adriani esse dicuntur. Catacricos libros obscurissimos, Antimachum imitando, scripsit. Floro Poetae scribingenti ad se, Ego nolo Caesar esse, Ambulare per Britannos, Seythicas pati pruinias; rescripsit, Ego nolo Florus esse, Ambulare per tabernas, Latitare per popinas, Culices pati rotundos. Amavit praeterea genus dicendi vetustum: controversias declamavit: Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Cæciliūm prælulit. Eademque jactatione de Homero ac Platone judicavit,

### Ex Julii Capitolini vita Gordiani junioris.

II. In studiis gravissimae opinionis fuit: forma conspicuus, memorie singularis, bonitatis insignis, adeo ut semper in scholis, si quis puerorum verberaretur, ille lacrymas non teneret. Sereno Sammonico, qui patri ejus amicissimus, sibi autem præceptor fuit, nimis acceptus et carus usque adeo, ut omnes libros Sereni Sammonici patris sui, qui censebantur ad LX et duo millia Gordiano minori moriens ille relinquere; quod eum ad cœlum tulit.

XX. Extant dicta et soluta oratione et versibus Gordiani junioris, quæ hodie ab ejus affinibus frequentantur, non magna, non minima, sed media, et quæ appareant esse hominis ingeniosi, sed luxuriantis et suum deserentis ingenium.

### Ex Trebellii Pollionis vita Gallieni patris.

VI. Pudet memorare inter haec tempora, quum ista gererentur, quæ saepe Gallienus malo generis humani quasi per jocum dixerit. Nam quum ei nunciatum esset, Aegyptum descivisse, dixisse fertur. Quid? sine lino Aegyptio esse non possu-

mus? Quum autem vastatam Asiam et elementorum concursionibus, et Scytharum incursionibus comperisset; Quid, inquit, sine aphonitis esse non possumus? Perdita Gallia arrisisse ac dixisse perhibetur, non sine trabeatis sagis tuta respublica est? Sic denique de omnibus partibus mundi, quum eas amitteret, quasi detrimentis vilium ministeriorum videretur affici, jocabatur.

## Ex Flavii Vopisci Siracusii vita Aurelian*i*.

**II.** Et quoniam sermo nobis de Trebellio Polione, qui a duobus Philippis usque ad divum Claudium, et ejus fratrem Quintillum, imperatores tam claros, quam obscuros memorie prodidit, in eodem vehiculo fuit, asserente Tiberiano, quod Pollio multa incuriose, multa breviter prodidisset: me contradicente, neminem scriptorum, quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum. Prodente quin etiam, in quo Livius, in quo Salustius, in quo Cornelius Tacitus, in quo denique Trogus manifestis testibus convincerentur: pedibus in sententiam transitum faciens, ac manum porrigens jucundam: Praeterea, Scribe, inquit, ut libet: securus, quod velis, dicas: habiturus mendaciorum comites, quos historicæ eloquentiæ miramur auctores.

**XXVI.** Aurelianus imperator romanus orbis et receptor Orientis, Zenobia cæterisque, quos societas tenet bellica. Sponte facere debuistis, id quod meis litteris nunc jubetur: deditiōnem præcipio impunitate vitæ proposita, ita ut illis. Zenobia cum tuis agas vitam, ubi te ex senatus amplissimi sententia collocavero. Gemmas, argentum, aurum, sericum, equos, camelos, in æarium romanum conferas. Palmirenis jus suum servabitur.

**XXVII.** Zenobia regina orientis, Aureliano Augusto. Ne-  
mo adhuc præter te, quod poscis, literis petitit. *Virtute facien-  
dum est, quidquid in rebus bellicis est gerendum.* Deditiōnem  
meam petis; quasi nescias Cleopatram reginam perire maluisse,  
quam in qualibet vivere dignitate. Nobis Persarum auxilia non  
desunt, quæ jam speramus, pro nobis sunt Saraceni, pro nobis  
Armenii, Latrones Syri exercitum tuum, Aureliane, vicerunt.  
Quid igitur si illa venerit manus, quæ undique speratur? Po-  
nes profecto supercilium, quo nunc mihi deditiōnem, quasi om-  
nifariam vitor, imperas.

**Ex Sexti Aurelii Victoris de viris illustribus  
libro. L. Cornelius Sulla.**

Cornelius Sulla, a fortuna Felix dictus, cum parvulus a nutrice ferretur, mulier obvia: Salve, inquit, puer tibi et republi-  
cæ tuæ Felix; et statim quæsita, quæ hoc dixisset, non potuit in-  
veniri. Hic quæstor Marii Jugurham a Boccho in ditionem  
acepit. Bello Cimbrico et Teutonico legatus, bonam operam  
navavit. Prætor inter cives jus dixit, Prætor Ciliciam provinciam  
habuit. Bello sociali Samnites, Irpinosque superavit. Ne monu-  
menta Bocchi tollerentur, Mario restitit. Consul Asiam sortitus,  
Mithridatem apud Orchomenum et Chaeroneam prælio fudit, Ar-  
chelaum præfectum ejus Athenis vicit. Portum Piræum recepit.  
Enetos et Dardanos, in itinere superavit. Cum rogatione Sulpicia  
imperium ejus transferretur ad Marium, in Italiam regressus cor-  
ruptis adversariorum exercitibus Carbonem Italia expulit: Ma-  
rium filium apud Sacriportum, Telesinum apud portam Collinam  
vicit. Mario Prænesti interfecto Felicem se edicto appellavit.  
Proscriptionis tabulas primus proposuit. Novem millia dedititio-  
rum in villa publica cæcidit. Numerum sacerdotum auxit:  
tribuniciam potestatem minuit. Republica ordinata, Dictaturam  
depositum: unde sperti cœptus, Puteolos concessit; et morbo, qui  
Phtiriasis vocatur, interiit.

**CXXXIV.**

**Ex Flavii Eutropii historiae lib. X.**

Quinto tamen Constantinus imperii sui anno, bellum adver-  
sum Maxentium civile commovit; copias ejus multis præliis fudit;  
ipsum postremo Romæ adversus nobiles omnibus exitiis sæviens-  
tem apud pontem Milvium vicit, Italiaque est potitus. Non multo  
post deinceps in Oriente quoque adversus Licinium Maximini-  
nus res novas molitus, vicinum exitium fortuita apud Tarsum  
morte prævenit.

Constantinus tamen vir magnus, et omnia efficere nitens,

quæ animo præparasset, simul principatum totius orbis affectans, Licinio bellum intulit, quamvis necessitudo illi et affinitas cum eo esset. Nam soror ejus Constantia nupta Licinio erat. Varia deinceps inter eos bella, et pax reconciliata ruptaque est. Postremo Licinius navalium et terrestri prælio victus, apud Nicomediam se dedidit, et contra religionem sacramenti Tessalonicae privatus occisus est. Eo tempore res romana sub uno Augusto et tribus Cæsaribus, quod nunquam alias, fuit, cum liberi Constantini Galliæ, Orienti, Italiæque præcessent. Verum insolentia rerum secundarum aliquantulum Constantinum ex illa favorabili animi docilitate mutavit. Primum necessitudines persecutus; egregium virum et sororis filium commodæ indolis juvenem interfecit: mox uxorem, post numerosos amicos Vir primo imperii tempore optimis principibus, ultimo mediis comparandus. Innumerae in eo animi corporisque virtutes claruerunt.

(Julianus) vir egregius, et rem publicam insigniter moderatus, si per faulta licuisset: liberalibus disciplinis apprime eruditus: græcis doctior, atque adeo, ut latina eruditione nequaquam cum græca scientia conveniret. Facundia ingenti, et prompta, memoriae tenacissimæ, in quibusdam philosopho propior: in amicos liberalis, sed minus diligens, quam tantum principem decuit. Fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriæ ejus inferrent. In provinciales justissimus, et tributorum, quatenus ferri posset, oppressor. Civilis in cunctos, mediocrem habens ærarii curam. Gloriæ avidus, ac per eam animi plerumque immodi: (nimius) religionis christianæ insectator; perinde tamen ut crux abstineret. M. Antonino non absimilis, quem etiam æmulari studebat.

## Ex Sexti Ruffi de historia romanorum libello.

Hispanis primum auxilium adversus Aphros per Scipiones tulimus, rebellantes tot annos Hispaniam per Decium Brutum obtinuimus, et usque Gades ad Oceanum mare pervenimus. Post ad Hispanos tumultuantes Decius Julius Syllanus cum exercitu missus, eos vicit. Celtiberi cum Hispania sæpe rebellabant: misso minore Scipione cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes penè Hispaniæ occasione belli Sertoriani per Metellum et Pompejum in ditionem acceptæ sunt: postea prorogato in quinquennium imperio, à Pompejo perdonitæ sunt: ad extremum quoque ab Octaviano Cæsare Augusto Cantabri, Astures,

qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Per omnes Hispanias sex nunc sunt provinciae: ex his Baetica et Lusitania consulares, cæteræ præsidiales sunt.

## Ex Ammiani Marcellini lib. XVI.

**XXIX.** Hæc aliaque in eumdem modum sæpius replicando (Julianus), majorem exercitus partem primæ barbarorum oppo-  
suit fronti: et subito Alemannorum peditum fremitus indignatioi mixtus auditus est, unanimi conspiratione vociferantium,  
relictis equis secum oportere versari regales: ne si quid conti-  
gisset adversum, deserta miserabili plebe facilem discedendi co-  
piam reperirent. Hoc comperto, Chonodomarius jumento actu-  
tum desiluit, et sequuti eum residui, idem facere nihil morati,  
nec enim eorum quisquam ambigebat partem suam fore victri-  
cem. Dato igitur ab ænatorum occantu solemniter signo ad  
pugnandum, utrinque magnis concursum est viribus.

Quumque in ipso præliorum articulo eques se fortiter con-  
turmaret, et muniret latera sua firmius, pedes frontem arctissi-  
mis conserens parmis, erigebantur crassi pulveris nubes: varii-  
que fuere discursus, nunc resistantibus, nunc cedentibus nostris:  
et obnixi genibus quidam barbari peritissimi bellatores, hostem  
propellere laborabant: sed destinatione nimia dextræ dextris  
miscebantur, et umbo trudebat umbonem; cœlumque exsultan-  
tium cadentiumque resonabat vocibus magnis.

**XXX.** Igitur quum equites nihil præter fugæ circumspec-  
tantes præsidia, vidisset longius Cæsar, concito equo eos velut  
repagulum quoddam cohibuit. Quo agnito per purpureum si-  
gnum draconis summitati hastæ longioris aptatum, velut senec-  
tutis pendentis exuvias, stetit unius turmæ tribunus, et pallore  
timoris percusus. ad aciem integrandam recurrit. Utque in re-  
bus amat fieri dubiis, eosdem lenius increpans Cæsar; quo, inquit,  
cedimus, viri fortissimi? An ignoratis, fugam, quæ salutem nun-  
quam reperit, irrito conatus stultitiam indicare? Redeamus ad  
nostros, saltem gloriae futuri participes, si eos pro republica dimi-  
cantes relinquimus incolsute. Hæc reverenter dicendo, reduxit  
omnes ad munia subeunda bellandi; imitatus veterem Sillam: qui  
quum contra Archelaum Mithridatis ducem educta acie prælio  
fatigabatur ardentि, relictus a militibus cunctis, cucurrit in or-  
dinem primum, raptoque et conjecto vexillo in partem hostilem:

ite, dixerat, socii periculorum electi: et sciscitantibus, ubi relic-tus sum imperator, respondete nihil fallentes: solus in Bæotia pro omnibus nobis cum dispendio sanguinis sui decernens.

### Ex libro XXXI.

Hæc ut miles quondam et græcus, a principatu Cæsaris Ner-væ exorsus, adusque Valentis interitum, pro virium explicavi mensura: opus veritatem professum, nunquam, ut arbitror, sciens silentio ausus corrumpere vel mendacio. Scribant reliqua potio-res ætate, doctrinis florentes: quos id, si libuerit, aggressuros, procudere linguas ad majores moneo stylos.

---

### CXXXVI.

### Ex Sulpicii Severi Sacrae historiae libro II.

Namque tum Constantinus rerum potiebatur, qui primus omnium romanorum principum christianus fuit. Sane tum Li-cinius, quia adversum Constantinum de imperio certavit, mil-i-tes suos litare præceperat: abnentes, militia rejiciebat. Sed id inter persecutions non computatur: adeo res levioris negotii fuit, quam ut ad Ecclesiarum vulnera perveniret. Exiude tranquillis rebus pace perfruimur: neque ulterius persecutionem fore credi-mus, nisi eam, quam sob fine jam sæculi, Antichristus exerce-bit. Etenim sacris vocibus, decem plagi mundum afficiendum, pronunciatum est: ita cum jam novem fuerint, quæ superest, ultima erit. Hoc temporum tractu, mirum est quantum inva-luerit religio christiana. Tum siquidem Hierosolima, horrens ruinis, frequentissimis ac magnificentissimis Ecclesiis est ador-nata. Nam Helena, mater principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cum Hierosolimam agnoscere concupis-ce-ret, reperta ibi idola ac templa protrivit: mox usa regni viribus Basilicam in loco Dominicæ passionis et resurrectionis et ascen-sionis constituit. Illud mirum quod locus ille, in quo postre-mum institerant diuina vestigia, cum in cœlum Dominus nube

sublatus est, continuari pavimento, cum reliqua stratorum parte, non potuit. Si quidem quæcumque applicabantur, insolens humana suscipere terra respueret, excussis in ora apponentium sæpe marmoribus. Quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum est, ut vestigia impressa cernantur. Et cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcata diripiatur, damnum tamen arena non sentiat; et eadem adhuc sui speciem, velut impressis signata vestigiis, terra custodit. Ejusdem reginæ beneficio crux Domini tum reperta: quæ neque principio obstantibus judæis, potuerat consecrari, et postea, dirutæ civitatis oppressa ruderibus, non nisi tam fideliter requirenti meruit ostendi.

### Ex Pauli Orosii historiarum libro VI cap. I

Si Romani colendo Deos emeruerunt favorem Deorum, et non colendo amiserunt; ut ipse Romulus parens Romæ inter tot mala ab ipso ortu suo ingruentia salvis esset, colendo quis meruit? An Amulius avus, qui exposuit ad necem? An pater, qui incertus fuit? An Rhea mater stupri rea? An Albani parentes ipsa quoque ab initio nominis germina persequentes? An tota Italia, quæ per quadringentos annos, dum audere potuit, excidio ejus inhibavit? Non, inquit; sed Dii ipsi, quia se colendos sciebant, futuros custodiere cultores. Ergo præscii sunt. Si præscii sunt, cur hoc imperium inter tot annorum sæcula eo potissimum tempore ad summam potentiae arcem perduxerunt, quo se ille nasci inter homines atque agnoscet ut homo voluit; post hujus nomen et ipsi pro nihilo contempti sunt, et cum universo mundo etiam illi, quos ipsi provexerunt et cucurrerunt? Sed humiliiter obrepit, inquit, et latenter intravit Latentis et humilis unde tam celebris fama? Tam indubitata fides? tam manifesta potentia? Signis quibusdam et virtutibus mentes hominum superstitione sollicitas cepit et tenuit. At hæc si potuit homo, dii magis posse debuerunt.

### Ex Magni Aurelii Cassiodori lib. XI epist. XI.

Edictum de pretiis custodiendis Ravennæ.

Ordinatio circa venditionem victualium.

Venalitas victualium rerum emptoris debet subjacere ra-

tioni. Ut neque in utilitate caritas, neque in caritate utilitas expetatur, sed æqualitate perpensa, et murmur ementibus, et gravamen querulis negotiatoribus conferatur. Atque ideo trutinatis omnibus, et ad liquidum calculatione collecto, diversarum specierum pretia subteraffiximus: ut omni ambiguitate summa, definitarum rerum debeat manere custodia. Si quis autem vendentium non servaverit, que præsentis edicti tenor eloquitur, per singulos excessus sex solidorum multam a se noviter exigendam, et fustuario posse subjacere suppicio. Quatenus eum et damni metus terreat, prædicta poena vehementer affligat.

### **Ex Chronicon ad Theodoricum regem præfatione.**



Sapientia principali, qua semper magna revolvitis, in ordinem me consules digerere censuistis: ut qui annum ornavera-  
tis glorioso nomine, redderetis Fastis veritatis pristinæ ve-  
ritatem. Parui libens præceptis, et librariorum varietate deter-  
sa, operi fidem historicæ auctoritatis impressi, quatenus vester  
animus per inlustres delectatus eventus blando compendio lon-  
gissimam mundi percurrat ætatem. Ab Adam primo homine  
usque ad diluvium, quod factum est sub Noe, colliguntur an-  
ni II. MCCXLII.

### **Ex Jornandis lib. de regnorum ac temporum successione.**



Igitur Saguntus in causam belli delecta est, vetus Hispanias  
civitas, et opulenta; fidei erga romanos magnum quidem, sed  
triste monumentum. Interim jam novem mensibus fessi fame  
machinis, ferro, versa denique in rabiem fide, immanem in foro  
excitant rogum: tum denique se suosque cum omnibus opibus  
suis ferro et igni corrumpunt. Hujus tantæ cladis auctor Han-  
nibal poscitur. Tergiversantibus Poenis, dux legationis, *quæ,*  
*inquit, mora est?* Fabius. *In hoc ego sinu bellum, pacemque por-*  
*to, utrum eligitis?* Succlamantibus, *Bellum: Bellum ergo,* in-  
quit, accipite: et excusso in media curia togæ gremio, non sine  
horrore, quasi pleno sinu bellum ferret, effudit.

Longobardorum gens, socia romani regni principibus, et  
Theodahati sororis filiam, dante sibi imperatore, in matrimo-

nō jungens regi suo, contra æmulos romanorum *Gepidas* una die pugna commissa, eorum pene castra pervasit: cecideruntque ex utraque parte amplius quadraginta millia; nec par (ut ferunt) audita est in nostris temporibus pugna a diebus Attilæ in illis locis, præter illam, quæ ante hanc contigerat sub Calluce Magmilide cum Gepidis, aut certe Mundionis cum Gothis: in quibus ambabus auctores belli pariter corruerunt. Hi sunt casus romanae reipublicæ præter instantiam quotidianam Bulgarorum, Antarum, et Sclavinorum. Quæ si quis scire cupit, annales consulumque seriem revolvat sine fastidio: reperietque dignam nostri temporis reipublicæ tragœdiam: scilique unde orta, quomodo aucta, qualiterve sibi cunctas terras subdiderit; et quomodo iterum eas ab ignaris rectoribus amiserit, quod et nos pro captu ingenii breviter tetigimus, quatenus diligens lector latius ista legendō cognoscat.

---

### CXXXVIII.

#### **Ex Aelii Antonii Nebrissensis epistola.**

Aælius Antonius Nebrissensis Isabellæ principi suæ S. D.

Cum introductiones meas præclarissimo tuo nomine recognitas atque interpretatas edere cœpsem, multi a me petierunt, ut illum ipsum prologum, quo sum celsitudinem tuam præfatus, enarrarem; tum quod propter eas antiquitates, quæ in eo perstringuntur, subobscurus atque difficilis cognitu videretur, tum etiam quod rei literariæ professores a procœmio librorum semper auspicari consueverunt. Et quamquam multa erant, quæ me id facere prohiberent: tum quod commentarios commentariis inculcando nimio apparatu tempus insumebatur, tum quod officium interpretis est multa in commendationem auctoris illius dicere, quem exponit; tum denique quod nullo exemplo aut per quam raro id fieret; ut quisquam auctor opus suum interpretaretur; gessi tamem illis morem, quibus nihil denegare potui. Expositionem igitur præfationis aggrediamur: *Ad optimam eamdem-*

*que maximam Augustam Isabellam hujus nominis tertiam &.*

Prima namque hujus nominis regina fuit Ludovici illius filia; qui primus in Gallia hoc nomine regnavit, quam duxit uxorem Alphonsus ille, qui Hispaniarum imperator est consulutatus. Secunda fuit hujus nostrae ex Joanne secundo mater felicissima.

## Ex Jo. Ludovici Vivis de tradendis disciplinis libro III.

Latina lingua, ut alia quæcumque, ex populi usu solebat olim disci; ea postquam in civitate est corrupta, ex auctoribus peti est copta, iis scilicet, qui a Catone Censorio ad tempora Adriani Cæsaris scripserunt: ut primus ejus auctor sit is ipse M. Cato, postremus Suetonius Tranquillus. Hic est illius tanquam vitae cursus: pueritia fuit sub Catone, senectus sub Trajano et Adriano; ætas optima et vis vigorque illius circiter saeculum M. Tullii: non quin et cæteri, qui secuti deinceps sunt scriptores, multa habeant apta, speciosa, exculta, atque exornata, cum propriis in verbis, tum in translatis et quibusdam ceu formulis dicendi. Sed nescio quo pacto maxime videntur propria et naturalia, quæ sunt ævi Ciceronis, in eo ipso, in M. Varrone, C. Cæsare, Sallustio, Tito Livio, Vitruvio: post quos latinus sermo ad luxum est et delicias cum moribus civitatis conversus, ut fucata sint magis et adumbrata, quam priora illa; et delectare potius voluisse eos appareat, quam dicere, aut animi sensa loquendo exprimere. Itaque quantum fieri poterit, dabitur opera, ut illius sint saeculi verba et phrases: non tamen in hac egestate et difficultatibus latinæ linguae repudianda sunt, quæ posteriores attulerunt. Seneca, Quintilianus, Plinius, Tacitus, et eorum æquales: nisi forte stet sententia obmutescere in tanta multitudine ac varietate rerum, de quibus est singulis horis loquendum in artibus et tota vita. Qui auctores sunt latinæ linguae probi, hi non omnes idonei sunt grammatico.

## Ex Petri Jo. Perpiniani ad Parisienses, de retinenda veteri religione, oratione XIII.

Hic insisto, hic hæreo, Parisienses, nihil quæro aliud; hoc

sum contentus uno, in quo tantum esse momenti arbitror, ut si nulla re alia, hac una certe posse putem omnium vestrum animos commoveri. Ut enim a Deo, cuius est ad communicandum larga et benefica natura, nihil nisi præclarum et illustre, et hominum generi salutare potuit oriri; sic ab improbo dæmonio generis nostri capitali hoste, quidquid fuerit profectum, improbum et nefarium, et exitiable sit, necesse est. His ego auditoribus non probabo, dæmonem malum, ut veterum hæreseon, sic hujus etiam recentis amentiæ principem exstitisse; & Sustinebunt hi tales viri tot eruditissimorum hominum sententiis conspirantibus, atque conflatis, tam discrepancia paucorum delirantium somnia præposuisse? Sustinebunt tot civitatibus, tot nationibus, provinciis, regnis, denique terrarum orbi non credidisse? Sustineant: reperiemus, quibus eos fidem non habere pudeat: reperiemus, quæ exponere non queant, ne si maxime quidem velint.

## Ex Alphonsi Garsiae Matamori de adserenda Hispanorum eruditione.

Aequalis Antonii fuit Ludovicus Vives, raro Valentiae de-  
cus, propterea quod et declamator egregius, et philosophus ma-  
gni nominis, et multis in rebus eminentissimus est habitus: pla-  
cuissetque multo magis viris eloquentissimis, si ut multa diserte,  
doctissimeque conscripsit, ita sermonis innata, insitaque duritia, et  
vocabulis quibusdam græcolatinis, quæ ad ampliandam linguam  
latinam excogitavit, orationis gratiam non obscurasset. Mihi au-  
tem hac de re una visus est Ludovicus Vives cum Portio La-  
trone contendere voluisse, utrum hunc ille sermone Hispano-  
Latino vinceret, an illum hic potius Græco-Latino superaret.  
Sic enim Pollio Asinius Livium sapere patavinitatem dixit, et  
Portium Latronem sua lingua, hoc est, Hispano-Latina fuisse  
disertum. Fatale hoc quidem fuit plerisque nostrorum homi-  
num, ut semper aliquid peregrinum et rude sonarent: adeo ut  
in ipso etiam eloquentiæ principe Fabio Quintiliano, qui elegan-  
tiæ simul et ingenii laude floruit, Hispanitatem invenerit Fran-  
ciscus Philelphus. Verum si næuos quærimus, neminem unum  
post homines natos inveniemus sic numeris omnibus absolutum.

et consummatum virum, in quo non sit aliquid, quod jure queas reprehendere.

**Ex Frederandi Nonii Pinciani, Domino Joanni Quinoni Salmaticensis Academiae præfecto, epis.**

Opusculum enim paucis his diebus, horis succissivis, tumultuaria opera, bene male contextum, ad munificentiam tuam affero. Cum euim proximis vacunalibus exposuissem Pomponium Melam geographum studiosis quibusdam adolescentibus, qui id a me, cum a publicis scholis feriarentur, enixe petiere, non satis habens, quod efflagitaverant præstisset, observationes quoque in eum, etsi aliis curis, studiisque occupatus, composui. Simul ut pleniore obsequio demererer amantes mei, simul ut homo hispanus, (quod in castigando Seneca aliquot ante annis feceram) hispano rursus auctori moribundo ac prope conclamato, opis ipse etiam pro virili parte aliquid afferrem. Scripsit ante me in eum Hermolaus Barbarus patriarcha Aquilejensis, eximiæ eruditioñis, castigationes Alexandro Sexto dicatas. Annotavit pauca quædam Mariangelus, vir et ipse egregiæ literaturæ.

**Ex Melchioris Cani de locis thelog. lib. I c. I.**

De locis ego Theologicis perpetuam orationem habiturus, totam mox in quatuordecim libros partiri constitui. Quorum primus breviter enumeret locos, e quibus idonea possit arguenda depromere, sive conclusiones suas Theologus probare cupit, seu refutare contrarias. Decem reliqui erunt, qui fusius et accuratius doceant, quam vim unusquisque locorum contineat, hoc est, unde argumenta certa, unde vero probabilia solum eruantur. In duodecimo (1) et tertiodecimo disseretur, quem usum ejusmodi loci habeant, tum in scholastica pugna, tum in sacrarum literarum expositione. Nam in concione populari quis eorum sit usus, haud sane difficile dictu est, sed prætereundum tamen, ne ab scholæ instituto aliena videatur oratio.

---

1. Duodecim tantum libros ei elucubrare per Dei providentiam licuit.

**CXL.****Ex Jo. Genesii Sepulvedae de rebus gestis  
Caroli V. lib. VII. cap. VII.**

Ceterum quæ res Pontifici suis rationibus suffragari videbantur, hæ fuerunt illi maxime omnium adversariæ. Tot enim tantisque difficultatibus affecti Cæsariani, omne periculum contemnentes, sibi aut occumbendum esse in oppugnatione statuebant, aut urbem expugnandam, quæ tam superbe pacis conditiones negligeret. Igitur eo die in parte Vaticanæ montis, quæ est a tergo fani D. Petri, considererunt, et ex loco superiore situm rationemque murorum considerarunt; postridie quarta vigilia, densissima nebula, quæ vel proximorum conspectum adimebat, omnem illum locum quasi divinitus occupante silentio, et jacularibus scloppetorum igniculos occultantibus, muro, quæ brevissimus erat, succedunt, Borbonio ipso cum Hispanis antecedente; nec ante conspici potuerunt, quam acies prima murum attingeret.

VIII. Quibus rebus administrandis atque imperandis occupatus Borbouius, dum inter primos versatur, tormenti telo femore confossus occiditur. Hoc prostrato, qui proximi aderant, centuriones ac milites, hortante Joanne Urbina et extremum periculum, si gradum retulissent, denunciante acrius instare et majore jam non solum studio, sed etiam indignatione oppugnationem urgere, gnaviter etiam custodibus propaguantibus, hanc enim muri partem Helvetii milites prætoriani ducenti ex vallo, de quo supra demonstratum est, traducti in primis defendebant.

**Ex Petri Thsaconii notis in Rom. calendarium.**

In hoc kalendario, quod Augusti tempore incisum fuit, Fasti præcipue dies et Nefasti, Festique notati sunt. His acceserunt minutioribus literis Ludorum dies, aliæque feriæ in C. Cæsaris et Augusti honorem institute. Fasti vero et Nefasti dies, hoc est, quibus fas erat, vel non erat Prætori fari tria illa verba solemnia, do, Dico, Addico, aut erant Fasti toti aut Nefasti toti, aut Fasti prima, media, vel postrema parte diei, reliqui vero Nefasti. Nefasti toti N. litera notantur: Fasti toti F., Fasti prima

parte F. P., quæ notæ Fastos prima parte designant. Fasti media parte E. N., quibus significatur *Entercisi* (sic enim antiqui scribebant pro *Intercisi*) dictique inde sunt, quod esset intercisum nefas, ut scribit Varro lib. de ling. latin. 5. Fasti vero posteriore parte his literis notantur N. P., hisque significantur Nefasti prima parte; nam iidem erant Fasti postrema.

### **Ex Antonii Augustini de Legibus lib. cap. III.**

◆◆◆

Quid lex sit.

Nunc videamus, quid lex ipsa sit. Et Papinianus Demosthenis definitionem secutus legem esse scribit commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum, quæ sponte vel ignorantia contrahuntur, coercionem, sponsonem denique reipublicæ communem. Qua definitione quatuor legis propria expressa sunt. Debet enim lex colli ab omnibus, utpote de omnibus generatim scripta; debet prudentium virorum consilio promulgari; supplicia denique vitiis, præmia virtutibus deferre, quibus rebus, quod postremo scriptum est, eveniet, ut totius reipublicæ vinculum esse videatur. Chrysippi definitio a Marciano relata non minus laudem legis expressit, quam ut, quænam lex ipsa es- set, explicaret. Divinarum humanarumque rerum reginam legem appellat, ducem, principem, atque præsidem bonis malisque rebus judicandis, juris injuriæque regulam.

### **Ex Benedicti Ariæ Montani, antiquarum rerum Studiosis omnibus, epistola.**

◆◆◆

Superiori anno mihi Romæ agenti Petrus Thsaconius Tolletanus inter alios amicos contigit, insigni pietate ac probitate vir et omni disciplinarum genere ad miraculum usque instrutus, Græcæ atque Latinæ linguae, ut si quis maxime mortalium peritus; cuius ego cum diurna ac veteri amicitia usus, tum suavissima consuetudine in omni studiorum meorum parte adjutus antea sœpe fueram. Is mihi romanæ illius amplitudinis vestigia fere innumera visere cupienti dux et index certissimus atque interpres doctissimus perpetuo fuit. Inter alia vero, quæ conspectu, cognitu- que gra. issima obtigere, una Romanorum Fastorum marmorea ta-

bella me summopere oblectavit, Romanis literis incisis exarato; quam ex multis fragmentis, quae inveniri forte potuerant, S. P. Q. R. in Capitolii recens restituti muro fere totam concinnandam, affigendamque curavit.

Quamobrem Thsaconium meum orare atque obsecrare coe-  
pi, ut tabulam illam ad studiosorum usum instituta commenta-  
tione idem ipse explicaret.

### Ex Francisci Sanctii Minerva cap. I.

Itaque nisi te totum inquisitioni tradideris; nisi artis tuæ, quam tractas, causas rationesque probe fueris perscrutatus, crede te alienis oculis videre, alienisque auribus audire. At invasit multos, perversa quædam opinio, seu barbaries potius, in grammatica et sermone latino nullas esse causas, nullamque penitus inquirendam esse rationem: quo figmento nihil quicquam vidi ineptius, nihilque potest excogitari putidius. An homo rationis particeps quicquam aget, dicet, machinabitur, sine consilio et ratione?

Qui igitur primi nomina rebus imposuere, credibile est illos adhibito consilio id fecisse, et id crediderim Aristotelem intellexisse, quum dixit, ad placitum nomina significare. Nam qui nomina casu facta contendunt, audacissimi sunt, nimirum illi, qui universi mundi seriem et fabricam fortuito ac temere ortam persuadere conabantur.

### Ex Joan. Marianæ de rebus Hispaniæ lib. XIX.

II. Fuere ea tempestate ii duo Præsules (Toletanus et Compostellanus) diversis virtutibus, artibus, moribus, quos, quoniam res obtulit, visum est, utriusque naturam, atque ingenium explicare. Nobilitas his, ætas, eloquentia, animi magnitudo, paria ferme fuerunt. Ad gloriam, non eadem via, nitebantur. Compostellanus blanditiis, calliditate, munificentia certabat. Toletanus egregiis artibus, vitae integritate. Officiis ille, et conciliandis procerum voluntatibus præstebat. hic severitate, dignitate, opibus. In illo flagitiosis perfugium erat: hic bonos tuebatur, malis perniciem comparabat. Compostellanus laborare, contendere, amicis favere, nihil negare, cuius haberet facultatem. Toletano studium modestiæ, decoris, et probitatis erat.

**Emm. Joseph Mignana Cœnobiarea Valentinus,  
Emmanueli Martino Alonensi Decano S. P. D.**

Non satis pol mihi videris nares emunxisse; etsi te ut purges diligenter, nihil non rerum satagis. Caperat tibi frons jam in primo verbo? Quid si dixisse, cerebrum emunxisse te? Abutti te indulgentia mea. Atqui per te licet. Sed ut ad rem, pri-  
mum omnium hoc te mihi credere vehementer velim, non me scilicet nescire, quæ de peregrinis vocabulis ait, quibus olim Ro-  
ma usa est, cum apud Quintilianum id ipsum sæpe legerim, et etiam illud me legisse memini apud Vallam, quæ in tuis moni-  
tis initio appinxisti; quod superioribus meis dicere oblitus sum.  
Evidem venit in mentem nunquam, fore ut ea ad me scri-  
beres. Si venisset, ut mea est in te voluntas, ut tibi parceres,  
hortatus essem quam familiariter.

**Emm. Martinus Emm. Josepho Mignanae S. D.**

Legi perlibenter Historiam motus Valentini, a te concinne eleganterque conscriptam. Tota historiæ tuæ dictio castissima est, et plane ad romanæ aures. Ad Cæsarem quam propissime accedit, nisi quod interdum *Crispiturit*, delibatis inde quibus-  
dam veluti gemmis, excitando auditori novi ornatus miraculo.  
Fateor me sæpe, inter legendum, orationis vi ac venustate per-  
culsum, ad invidiam usque fuisse permotum. Adeo illa affabre dedolata, et exacta ad normam Romanæ loquentiæ.

**EX ELEGIA IN ARCAM VICENNALIUM PEREGRINATIONUM COMITEM**

Arca rigens clavis et pelle Libistydis ursæ,  
Arca meæ facilis tu comes una viæ.  
Heu miseranda jaces attritu et pulvere fœda,  
Proscinditque tuum plurima rima latus.  
Ergo jam tempus tuto requiescere portu,  
O desideriis Arca parata meis.  
Utque exanthlati referas majora laboris  
Præmia, fixa polo nobile sidus eris.  
Ipsa viatori splendebis lumen amicum,  
Atque is securum, te duce, carpet iter.

GENERO DE VACUNA CENSO DIVERSO GENERO TIPO

Vacuna pura, se aplican a personas, que no tienen la enfermedad, para que no se propague.

Limpia de Microorganismos 100% que limpian la enfermedad de las personas y se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Limpia de microorganismos que limpian la enfermedad de las personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

Genotipos vacunados, se aplican a personas que no tienen la enfermedad.

# PROSA.

## GENERO ORATORIO.

## GENERO HISTORICO.

## GEN. DIVERSOS. GENERO LIRICO

<i>Primer periodo, de infancia ó puericia, desde el origen de Roma, 754 años antes de J. C,</i>		
Fábula de Menenio Agripa. 261	Anales Máximos ó Comentarios de los Pontífices. Libros linteos ó de tela.	Leyes regias y tribunicias. Las de las Arvales y Salios. XII tablas. . . 302
<i>Segundo periodo, de adolescencia, desde fin de la primera guerra púnica, 513 de Roma, 241 antes de J. C,</i>		
Cornelio Cetego. . . 204. . .	Fabio Pictor. . . 216. . .	Catón el censor. . . 234. . . 149
Catón. Túsculo. . . 234. . . 149	(Anales romanos).	(Agricultura). . . 514 de Roma.
Servio Galba. . . 144. . .	M. Porcio Catón. . . 234. . . 149	(Himnos).
Tiberio Graco. . . . . 133	(Orígenes)	
Gayo Graco. . . . . 121	M. Emilio Scauro. . . 163. . . 88	
M. Antonio. . . . . 87	(Autobiógrafo).	
Licinio Craso. . . . . 91		
L. Placio Galo, retórico, maestro de Ciceron. . . 88. . .		
L. Otacilio Pilito, retórico, maestro de Pompeyo. . . 88. . .		

<i>Tercer periodo, de oro ó virilidad, desde la muerte de Sila 676 de Roma, 78 antes de J. C,</i>		
Hortensio. . . . . 114. . . 50	Sila. Roma. (Su vida). 137. 78	Ciceron. . . 106. 43
Ciceron. Arpino. . . 106. . . 43	César. (Comentarios) 100. 44	Catulo. . . 87. . . 57
Julio César. Roma. . . 100. . . 44	A. Hircio. (Comentarios). 43	(Odas, eleg., epig.)
Porcio Latron, Español . . . 4 (Retórico).	M. Ter. Varron. . . 116. 27	Corn. Galo. Frejus
Rutilio Lupo. . . . . 20 . . . (Retórico).	D M. Ter. Varron.	(Elegías). 69. . . 29
	Salustio. Amiterno. . . 86. . . 35	(Agricultura, gramática &).
	(Guerras, Catil. Yug. é histor.)	(Odas). . . 65. . . 8
	Nepote Hostilia. (Vidas). 45	Properec. Umbria.
	T. Livio. Padua. . . 59. . . 17	(Elegías). 52. . . 11
	Dilio Higino. (Historia romana)	Tibulo. Roma.
	Trogo Pompeyo. . . . . 8. . . (Historia universal, Filística).	(Elegías). 64. . . 19
	Asinio Polion. . . . . 3. D.	Ovidio. Sulmona
		(Eleg.) 43. 17 D.

<i>Cuarto periodo, de plata, virilidad proyecta, ó vejez inminente, desde la muerte de Augusto,</i>		
M Anneo Séneca. Córdoba. 32 (Suasorias: Controversias).	Veleyo Patérc. Nápoles 19 A 31 (Historia romana).	L. Séneca. . . 2. 65 Cesio Bassio. (Obras filos. Cartas) (Odas.)
Quintiliano. Calahorra. 42. 120 (Instit. orator.: declamaciones)	Valerio Máximo. Roma. . . 32. (Anécdotas memorables). Plínio el mayor. 23. 79 (Historia natural) (Silvas: odas) 61. 96	Stacio. Nápoles.
Plinio el jóven. Como. 62. 113 (Panegírico de Trajano).	Tácito. Interamna.. 60-134 (Histor. Anales: Agric. Germ.) (Cartas)	Plínio el joven. (Cartas)
	Q. Curcio (Hist. de Alej.). 78. Petruolio (Satiricon, Novela)	Petrolio (Satiricon, Novela)
	Suetonio Tranquilo. . . 120. . . (Vidas de los 12 Césares)	Asconio Pediano.
	Floro. Español. . . . . 120. . . (Compendio de Historia rom.)	Remnio Palemon.
	Justino. Compendio de Trogó (Gramáticos).	Flavio Vitginio.

<i>Quinto periodo, de cobre, ó vejez, desde la muerte de Trajano,</i>		
Mamertino, Eumenio, Nazario Mamertino Junior, Latino Pacato. (Panegíricos). : Siglo 4	Sparciano, Julio Capitolino, Lampridio, Vulcacio Galiciano ma. . . 384. . . y	Aurelio Simaco, Ro- S. Dámaso. España (Marte y Venus). (Himnos).
Tertuliano. Cartago. . . . . 245	Trebello Polion, Vopisco. 300 (Escritor. de la hist. Augusta)	Sidonio Apolinari. S. Ambrosio. Tréveris. . . 438. . . 484 (Historia evangélica.)
Minucio Felix. S. Cipriano. 258	Aurelio Victor. Sexto Rufo y	Lion. . . 438. . . 484 (Cartas). . . (Himnos).
Arnobio. Lactancio Cartago 325	Publio Victor. . . 360. . . y	Apuleyo. Madaura. Prudencio. Cala-
S Hilario de Poitiers. . . . . 368	Flavio Eutropio. . . . . 380. . . (Compendios históricos).	horra. . . 405. . . (Lírico y didáct.)
S Ambrosio Tréveris. 340. 397	Amian. Marcel. Antioquia 390	obras orator. . . 160) (Lírico y didáct.)
S. Jerónimo. Stridonio. 331. 420	Salviano, S. Leon, S. Fulg. Siglo 5	S. Paulino. Galia. (Himn.) 353. 431
S. Agustin. Tagaste. 354. 430	Sulpicio Severo. Orosio. Sigl. 4	Alcimo Avito arz de Viena. 490. (Historia bíblica)
S. Gregorio S. Leandro Sig. 6 y 7	Casiodoro. Jornandes. Sigl. 4 y 5	

# POESIA.

## GENERO ERICO.

*hasta fin de la primera guerra púnica, 513 de Roma, 241 antes de J. C. (Años de Roma)*

Canciones de los banquetes ó de las mesas.	Comedias Atelanas	Inscripción de Barbato padre. 464
	Farsas traídas de Etruria.	Id. de la Columna Rostrata. 494
		Id. de Barbato, el hijo. . . 495

*hasta la muerte de Sila 676 de Roma, 78 antes de J. C. (Los años despues de J. C. llevan una D).*

Livio Andrónico Tarento. . . 220 (Traducción ó imitación de la Odisea. Románida).	Liv. Andrón. (cómico y trágico)	Livio Andrónico. Tarento. . . 220 (Primer poeta latino).
Cneo Nevio. . . 204 Campania. 204 (1ª guerra púnica Ilias Cyprica. Erotopegnia).	Cecilio y Afranio. (cómicos). 184	Ennio. Rudia. . . 239. . . 169 (Poeta satírico).
Ennio. Rudia. . . 239 . . . 169 (Anales romanos. Scipion)	Plauto. Sarsinia. . . 227. . . 184 (Veinte comedias)	Pacuvio. Brindis (sátira) 220. 130 C Lucilio. Suesa (sátira) 148. 103
	Pacuvio. Brindis (trág.) 220. 130	Terencio. Cartago. . . 192. . . 157 M Terencio Varro. 116. . . 27 D. (Seis comedias).
		Accio. Roma. (trágico) 170. . . 87
		Turpilio. (Cómico) . . . 105. . . tu: Q. Lutacio Cátulo.
		Atta y Pomponio (cóm.) . . . 92. . . (Epigramas).
		Pomponio y Novio. (Atelanas) 84

*hasta la muerte de Augusto, 14 despues de J. C. (Los años despues de J. C. llevan una D).*

Varron Atacino. Atax. (Argonautas, elegía, epigramas)	César: Augusto: Mecenas: Polion: Lucrecio. Roma. . . 95. . . 51 (Poema didáctico de <i>serum natura</i> )
Macio: Vario: Hostio: Tuca: Valgio: Vario; y Ovidio (Tragedias perdidas).	Titinnio. C. Meliso. Verginio. (Sátiras, epístolas, arte poética).
Rabirio: Pedon (Poemas perdidos)	Horacio. Venosa. (Bodas de Feleo y Tetis).
Catulo Verona. . . 87. . . 57	D. Laberio. . . 109. . . 43 (Elegías, georgicas).
(Bodas de Feleo y Tetis).	Virgilio. Mantua. . . 70. . . 19 (Eneida).
Virgilio. Mantua. . . 70. . . 19 (Eneida).	P. Siro. . . . . 46. . . (Mimos).
Ovidio. Sulmona. . . 43. . . 17 D. (Metamorfosis: Fastes).	Cneo Macio. . . . . 44. . . (Mimambos).

*14 despues de J. C., hasta la muerte de Trajano en 117 (Los años antes de J. C. llevan una A).*

Lucano. Córdoba. . . 38. . . 65 (Pharsalia).	Séneca el Trágico. . . 2. . . 65 (Diez tragedias: Medea, Hipólito, Troyanas, Troyanos, Cárdenas, etc.)	Phedro. Macedonia, ó Tracia. . . 30. (Fábulas).
Valerio Flaco. Padua. . . 88 (Argonauticon)	Agiemnon, Las Hécules furioso, Tiestes, Las Fenicias, Edipo, Hércules sobre el monte Oeta, Octavia).	Columela. Cádiz. . . 50. . . (De culto hortorum).
Silio Itálico. . . . . 25. . . 100 (Guerras Púnicas).	Papinio Stacio. Nápoles. 61. 96 (Thebaida, Aquileida).	Persio. Volterra. . . 34. . . 62 (Sátiras).
		Juvenal Aquino. . . 42. . . 123 (Sátiras).
		Marcial. Bilbils. . . 41. . . 101 (Epigramas).
		Sulpicia. Satírica. . . 95. . . Terenciano Mauro, de prosodia.

*117 de J. C., hasta la destrucción del imperio de Occidente en 476.*

Nepociano ó Reposiano. . . 300	[Una comedia titulada <i>Qué olus</i> . 450 Nemesiano. Cartago. . . 284. . . (Elogias: Cinegeticon)]	Calpurnio. (Elogias) . . . 284. . .
		Aviano. (Fábulas) . . . 380. . .
		Ausonio. Burdeos. . . 309. . . 394 (Muchos poemas)
		Numaciano. Galia. . . 416. . . (Itinerarium)
		S. Próspero. Aquitania. . . 463 (Poemas didácticos)
		Sidonio Apolinar. Lion. 438. 484 (Varios poemas)



## APÉNDICE.

Aunque no creemos necesario á los jóvenes el estudio de la bibliografía, sino cuando se han adquirido una erudición regular; sin embargo juzgamos muy conveniente llamar su atención y excitar su curiosidad sobre las principales ediciones de los clásicos latinos; á la vez que les damos una ligera noticia de las varias traducciones que se han hecho á nuestra lengua. Sobre lo 1.<sup>º</sup>, copiaremos lo que dice el P. Sarmiento en su catálogo de libros curiosos y selectos para la librería de un particular; y sobre lo 2.<sup>º</sup>, extractaremos á D. Nicolás Antonio y á D. Juan Antonio Pellicer, añadiendo sobre uno y otro todo lo que hayamos podido averiguar, así de sus tiempos como de los posteriores.

Dice Sarmiento: Todas las impresiones hechas en Roma y Venecia de los *Manucios*; en París de los *Stephanos*; en León de Francia (Lion) de los *Gryphos*; en Antwerpia (Amberes) de la oficina *Plantiniana*; y en Holanda de los *Elzevirios*, se aprecian mucho, ó por muy hermosas ó por muy correctas.

De todos los autores dichos (griegos y latinos de 400 años antes de J. C. y 500 después) hay cuatro géneros de ediciones modernas muy selectas. La 1.<sup>a</sup> en Holanda, y especialmente de los Elzevirios, en marca pequeña de 12.<sup>º</sup> ó de 16.<sup>º</sup>, y solo contiene el puro texto y tal cual nota.

La 2.<sup>a</sup> en París, que llaman *Ad usum Delphini*, porque se destinó para el uso del Delfín. Se repartieron muchos autores latinos y algunos griegos entre los eruditos, para que cada uno sacase, comentase é imprimiese de suyo. Imprimiéronse en 4.<sup>º</sup>, y aunque son muy caros, son magníficos.

La 3.<sup>a</sup> es la de Holanda que llaman *cum notis variorum*;

porque viendo los Holandeses que eran caros los tomos *ad usum Delphini* de Paris, idearon reimprimir los dichos tomos y muchos mas en marca mas acomodada y en 8.<sup>o</sup> Real, para venderlos mas barato. Salieron bellisimamente impresos, y con este realce mas sobre los *ad usum Delphini*, que estos solo tienen las notas mas escogidas de varios eruditos antiguos y modernos, de donde les vino el nombre de *cum notis variorum*.

La 4.<sup>a</sup> es de Inglaterra y Holanda, y se debe llamar *Magistral*: pues es como edicion completa, ya en folio, ya en 4.<sup>o</sup> Real grueso, que no solo contiene las notas *variorum* en compendio, sino tambien á la letra, y con mil cosas curiosas añadidas. Estas ediciones son muy caras; pero á mi ver las mas apetecibles: y si yo fuera acomodado, las tendria todas.

Viendo los Monges Benitos de la congregacion de San Mauro de Francia, el cuidado que se ponía en pulir los autores griegos y latinos profanos, y el poco que habia en corregir el texto de los autores cristianos primitivos, tomaron á su cargo corregir sus obras y hacer una edicion magnifica de ellos en Paris, y en folio, que admirauan todas las naciones. Pasan de 120 tomos en folio los que salieron ya; y es poco ó nada apreciable la biblioteca que no los tiene.

Despues de esto ha entrado la avaricia de los libreros á trastornarlo y confundirlo todo. En Italia, Alemania, &c. han contrahecho estas selectas y puras ediciones. Las *ad usum Delphinis* se reimprimieron en Venecia y en Padua. Los Santos Padres que sacaron los Benedictinos, se reimprimieron en Venecia y Verona; pero sobre ser estas ediciones muy inferiores en lo material, sonlo mucho mas en la correccion, porque hierben en ellas las erratas, pues no hubo otro interesado en la correccion que el vil interes de los libreros.

Virgilio. Debeu tenerse los tres tomos del P. Zerda: comentarios de Virgilio.

Ovidio. Hay otros 3 tomos en folio de comentos de Ovidio; y á falta, los 4 tomos grandes en 4.<sup>o</sup> de la ultima edicion de Holanda de Pedro Burmano. (Aqui debió decir, de Amsterdam de 1727, dice Valladares.)

Quintiliano. El mismo Burmano sacó las obras de Quintiliano en 2 tomos en 4.<sup>o</sup> con notas.

Plinio el mayor. La mejor edicion es la del P. Hardui-

no; 3 tomos en fólio de última mano, es carísima.

Ciceron. Hay edición última de Holanda en 11 ó 13 tomos en 8.<sup>o</sup> de Würtzburgó; y tambien la hizo en fólio. (Hay tambien la que se hizo en Génova en 1758 en 9 tomos en 4.<sup>o</sup> con los comentarios de Joseph Oliveto, dice Valladares.)

Séneca. S.y de sentir se busquen los 6 tomos en fólio, con Tácito y Justo Lipsio, de la edición última de Antwerpia, (c. 1637), de los cuales uno todo es el Séneca otro Cornelio Tácito y otro Velejo Patériculo.

Vitruvio, ó la edición de Phelandro en 4.<sup>o</sup>, ó la magnífica de Holanda de Leiden en fólio, que es mejor.

T. Livio. La edición *ad usum Delphini*, 6 tomos en 4.<sup>o</sup>:

Lucrécio. La edición *ad usum Delphini*.

Juvenal. La magnífica de Utrecht de 1685 de Hennino, un tomo 4.<sup>o</sup> grande.

Persio. La edición de Casaubono; 1 tomo en 8.<sup>o</sup> grueso. (No son despreciables los comentarios del Brocense).

Claudiano. La edición de Barthio; 1 tomo en 4.<sup>o</sup> muy grueso.

Silio Itálico. La de Dausquio; 1 tomo en 4.<sup>o</sup>

Padres de la Iglesia. La colección de ellos es la que llaman *Bibliotheca veterum Patrum*, no *sanctorum Patrum*, como citan algunos; pues muchos de ellos no han sido santos. Esta colección comenzó en Colonia: después se aumentó en París: después con el fin de abultarla, la echaron á perder en Lión, reimprimiéndola los libreros; y actualmente, si no mienten las noticias literarias, la están imprimiendo en Frankfurt, y en muchos menos tomos que la de Lión, siendo así que está con el Aparato de Noura y Noury, é índice. Tiene 30 tomos en fólio.

Hasta aquí el P. Sarmiento á 14 de Abril de 1748, y lo confirmó á 12 de Marzo de 1754.

Añadiremos nosotros, que prescindiendo de las innumerables ediciones particulares de cada autor, que se han hecho en todas las naciones, incluso nuestra España, y pueden verse muchas en el tomo 2.<sup>o</sup> de la 1.<sup>a</sup> parte de la historia del hombre del Abate Hervás y Panduro, y en el curso de literatura latina de Ficker, traducido al Francés por M. Theil; los poetas latinos han sido publicados en varias colecciones con el título de *Corpus*, de *Chorus*, de *Fragmenta* y de *Opera*

*et Fragmenta veterum poetarum latinorum*; pero la mas completa y la mejor es la de Michael Maithaire en Lóndres en 1713 en dos tomos en folio.

Recientemente se ha publicado, segun noticias, en Lóndres otra colección completa en un tomo grande, á 100 rs.

Hay otras colecciones; *Poetæ latini rei venaticæ et bucolicæ*, de Lion de 1718; *poetæ latini minores*, por Pedro Burniano, Lion 1734, y la del mismo título moderna de Wernsdorf en Altemburgo; y *poetæ scenici latinorum* de 1823 en Halberstadt. Son muy recomendables las colecciones de autores latinos de Barbou, de Dos-Puentes ó Bipontina, y las modernas de Didot, Lemaire, las Stereotipas de Leipsik, las de Angelo Mai, segun los códices vaticanos, y la publicada en Paris bajo la dirección de M. Nisard, (en 4.<sup>o</sup> francés la colección completa, y en 16.<sup>o</sup> las obras escogidas) con la traducción francesa y otros artículos y noticias crítico-literarias.

En estos últimos años se ha publicado en Paris bajo la dirección del Abate Migne un curso de patrologia, ó biblioteca universal de todos los padres, doctores y escritores eclesiásticos en 200 volúmenes en 4.<sup>o</sup>.

En 1782, 85 y 93 salieron á luz respectivamente tres tomos en folio de una magnífica edición, hecha en Madrid, de los Padres Toledanos.

Tambien hay colecciones de gramáticos, de retóricos, de mitógrafos, de *scriptores rei rusticae* &c.

Los ingleses tienen una colección de varios clásicos, publicada en Londres por Jac Tonson y Jean Watts: otra por Brindley, 24 vol. en 18<sup>o</sup> y otra en Birmingham por Jean Baskerville, 7 volúmenes en 4.<sup>o</sup>.

#### Traducciones.

Las traducciones castellanas de autores latinos son:

Plauto, el *Miles gloriosus* y los *Menechmos*, por un anónimo, en Amberes en 1555.

Terencio. Las seis comedias, por Pedro Simon Abril, en 8.<sup>o</sup>, en Zaragoza, 1577; en Alcalá, 1583, y en Barcelona, 1599.

Virgilio. Los tres primeros libros de la Eneida, con comentarios, por D. Enrique de Villena á mitad del siglo 15.

Joan del Encina dedicó á los reyes católicos su traducción en verso de las Eglogas, impresa con otras obras en Zaragoza en 1516.

Juan Fernandez Idiaquez tradujo en verso las Eglogas en Barcelona, en 1574 en 8.<sup>o</sup>

Mayans atribuye á Fr. Luis de Leon el Virgilio concordado de Abdias José y Antonio de Ayala y Fr. Antonio de Moya que dice son uno mismo, (en Madrid en 8.<sup>o</sup> en 1660 y 1664); y aun la traducción de Diego Lopez, asegurando que este se la apropió, quitándola mucho mérito con sus variaciones. Así, pues, Fr. Luis de Leon tradujo toda la Eneida en prosa; pero solo hay los seis primeros libros. De las Geórgicas, hay una traducción en prosa y dos en verso; la una de los cuatro libros y la otra de los dos primeros; y de las Eglogas la traducción en prosa y verso.

De Diego Lopez existen las Eglogas, Geórgicas y la Eneida en prosa, con comentarios, en 4.<sup>o</sup>, en Valladolid, 1601; en Madrid 1614; en Valencia 1698, y en Madrid 1721.

Cristobal de Mesa publicó en Madrid la traducción en verso, de las Eglogas y Geórgicas en 1618, y de la Eneida en octavas, en 1615, en 8.<sup>o</sup>.

Juan de Guzman tradujo en verso la Egloga 10 y las Geórgicas con notas muy eruditas, pero pesadas.

La traducción de Virgilio de D. Francisco Enciso y Monzon en 1619, no merece, según Mayans, contarse entre las buenas.

José Pellicer tradujo los cuatro primeros libros de la Eneida en 1624, en cuatro romances de á cien coplas.

Pero la traducción que tiene más nombre y es muy superior, á pesar de sus defectos, á casi todas las modernas, aun extranjeras, es la de la Eneida en verso de D. Gregorio Hernandez de Velasco. Se impuso en Amberes en 1557, en Alcalá en 1585 y en Zaragoza en 1586. También tradujo Velasco la 1.<sup>a</sup> y la 4.<sup>a</sup> Egloga, y el Brocense la 1.<sup>a</sup>

En 1842 se ha hecho en Barcelona una traducción en prosa de la Eneida, y en 1845 otra en verso en Bilbao.

Horacio. Juan Villén de Biedma le tradujo en Granada en 1599 en folio. Del siglo siguiente son la traducción MS. de Sebastian Covarrubias, y la del P. Urbano Campos, en la parte lírica, que corregida por el P. Luis Minguez de S. Fernando, y aumentada con el Arte poética, ha visto la luz pública en cuatro ó cinco ediciones en Madrid.

Fr. Luis de Leon, Bartolomé Leonardo de Argensola, Es-

teban Manuel de Villegas, Bartolomé Martínez, Juan de Aguiar, Diego Ponce de León, Mateo Aleman, D. Juan Gualberto González y otros, han traducido varias de las odas de Horacio. Vicente Espinel, D. Luis Zapata, José Morell, D. Tomás Iriarte, Martínez de la Rosa y D. Juan Gualberto González han traducido el Arte poética. A principios del siglo D. Felipe sobrado, y D. Juan Escrivé en 1847 han publicado traducidas las odas.

Mas entre todas las traducciones de Horacio merece llamar la atención la de D. Javier de Burgos, por ser completa, y porque regularmente su lira conserva el vigor y la variada entonación del original.

Ovidio. Están traducidas las Metamorfosis por Antonio Pérez Sigler en Salamanca, 1580 en 12.<sup>o</sup>; y en Burgos, 1609 en 8.<sup>o</sup>; por Luis Hurtado en Toledo á mediados del siglo 16; por Pedro Sánchez de Viana en Valladolid en 1589; por Felipe Mey en Tarragona en 1586; y por Francisco Cribell en Madrid, 1805, en 4.<sup>o</sup>.

La *Pulex* ó Pulga, por Pedro Barberán de Cuevas, en Zaragoza, 1636. *De remedio amoris*, por D. Luis Carrillo, solo la mitad, en Madrid, 1611 y 1613, en 4.<sup>o</sup>.

Las Heroidas y la elegia *in Ibum*, por Diego Megía, en Sevilla, 1608 en 4.<sup>o</sup>; y en Madrid, 1797, publicadas después en una colección de poemas castellanos, en 8.<sup>o</sup>. La de Dido á Eneas fué parafraseada, por Sebastián de Alvarado en 1628 en 4.<sup>o</sup>, en Pamplona y en Burdeos.

Phedro. De sus fábulas hay varias ediciones con la traducción al frente del texto.

Persio. Por Diego López, en Burgos, 1609, en 8.<sup>o</sup>, Madrid, 1615; Sevilla, 1631; y Madrid, 1654. Las traducciones de Bartolomé Melgarejo y de Luis Gerónimo Sevilla, están inéditas, según Nicolás Antonio. La 3.<sup>a</sup> sátira está también traducida por D. José Antonio González.

Tragedias de Séneca. D. José Antonio González tradujo las *Troyanas* en Madrid, 1633, en 4.<sup>o</sup>.

Lucano. Por Jerónimo Poñes, MS.; por Juan de Jauregui en 1789, en Madrid, en 8.<sup>o</sup>; por Martín Lao de Oropesa, en prosa, en Valladolid, 1544, en folio; y en Burgos en 1588, id.; y en Amberes, 1585, en 8.<sup>o</sup>.

Stacio. Hay una traducción de la *Tebaida* por un anó-

nimo conocido por Arjona, de Granada.

**Martial.** Le tradujo en el siglo 17 D. Tomás Tamayo, de Vargas; y D. Manuel Salinas y Lizana tradujo tambien parte de sus epígramas á fines del siglo 16 y principios del 17.

**Juvenal.** Explicado magistralmente en 1642, y traducido en 1662 en Madrid, en 4.<sup>o</sup>, por Diego López. Pedro Fernández de Villegas tradujo la sátira 10.

**Dísticos de Catón.** Por Martín Godoy de Loaysa, en Lyon, 1556, en 8.<sup>o</sup>.

**Nemesiano y Calpurnio.** Sus Eglogas han sido traducidas en 1844 en Madrid, en 4.<sup>o</sup>, por D. Juan Gualberto Goozález.

**Aviano,** por D. Enrique infante de Aragón.

**Claudiano.** El robo de Proserpina, por Francisco de Faria en Madrid, 1608, en 8.<sup>o</sup>.

**Aurelio Prudencio.** Los himnos, por Luis Diez de Auxeu Zaragoza, 1619 en 8.<sup>o</sup>.

**Vitruvio.** Por Miguel de Urrea en Alcalá 1547, y 1602 en fol. y por D. José Ortiz Sanz en Madrid, 1787 en fol.

**Ciceron.** Sus discursos contra Catilina fueron traducidos por Andrés Laguna, en Amberes, 1557 en 8.<sup>o</sup> y en Madrid, 1796 en 4.<sup>o</sup>. Pedro Simón Abril tradujo estos mismos y los de Q. Ligario, Marcelo y Arquias, por la ley Manilia, y el 1.<sup>o</sup> contra Verres. Este último, en Zaragoza en 1574 en 4.<sup>o</sup> y en Valencia en 1761 en 8.<sup>o</sup> Tambien las epístolas *ad familiares*, en Valencia 1578 en 4.<sup>o</sup>; en Madrid, 1589 en 8.<sup>o</sup> y en Barcelona en 1615; y otras epístolas selectas en Tudela, 1572 en 8.<sup>o</sup>. Hay tambien algunas publicadas en Burgos en 1758.

Los discursos por la ley Manilia; 1.<sup>o</sup> y 2.<sup>o</sup> contra Catilina; por Arquias, *post redditum ad Quirites, et in senatu*, por Milon, Marcelo, Ligario, Deyotaro y las filípicas 1.<sup>a</sup> y 9.<sup>a</sup> fueron traducidas por D. Rodrigo de Oviedo, en Madrid en 1789 en 8.<sup>o</sup>, y en el prólogo se refiere á otra traducción reciente de las oraciones de Ciceron, mucho mas costosa para los Estudiantes.

Los tratados *de officiis, de amicitia, de senectute*, se hallan traducidas por Francisco Távara en Salamanca, en 1582 en 8.<sup>o</sup>; y estos mismos con las paradojas y el sueño de Scipion, por Juan de Jarava, en Amberes en 1549 en 8.<sup>o</sup>, y por D. Ma-

nuel Valbuena en Madrid, 1788, 2.<sup>a</sup> edición y en 1818. Los dos primeros tratados, los hay tambien traducidos por Gonzalo de la caballería. MS.

El 2.<sup>o</sup> libro de las epístolas *ad familiares* y algunas á Atico, por Gabriel Aulon en 1574 en Alcalá en 8.<sup>o</sup>.

Las cuestiones Tusculanas, por un anónimo. MS.

Séneca el filósofo. Alfonso de Rebenga tradujo en 1626, en Madrid, en 8.<sup>o</sup> los libros de *clementia*; y Gaspar Ruiz Montiano, los de *beneficiis*, con el título de espejo de bienhechores, en Barcelona, 1606 en 4.<sup>o</sup> Estos mismos fueron traducidos por Pedro Fernandez Navarrete en Madrid, 1629 en 4.<sup>o</sup>; y los de *divina providentia*, de *vita beata*, de *animi tranquillitate*, de *constantia sapientis*, de *brevitate vitæ*, de *consolatione ad Polibium* y otro de la pobreza, compuesto de varias sentencias de Séneca, en 1627. D. Luis Carrillo dió á luz el de *brevitate vitæ* en Madrid 1611 y 1613 en 4.<sup>o</sup>. Flores, ó trozos de las cartas de Séneca, vieron la luz pública por D. Juan Martín Cordero, en 1555 en 8.<sup>o</sup> en Amberes.

Quintiliano. Por un P. de las Escuelas Pías en Madrid en 1799 en 4.<sup>o</sup>; lleva tambien el texto latino.

Plinio el anciano. La historia natural, por Jerónimo Huerta en dos volúmenes en Madrid, 1624; y los libros 7.<sup>o</sup> y 8.<sup>o</sup> en 1599, el 9.<sup>o</sup> en 1603 y el 13, 14, 15, y 16, por Francisco Hernandez, MS. dirigido al rey Felipe 2.<sup>o</sup>.

Plinio el joven. El panegírico de Trajano, fue traducido por Francisco de la Barreda.

Apuleyo. El asno de oro por Diego Lopez de Cortegana, en Medina del Campo, 1543 en folio; por un anónimo en Madrid, 1601 en 8.<sup>o</sup>; y expurgado en Alcalá 1584 en 8.<sup>o</sup> Hay otras dos ó tres ediciones.

Tertuliano. El Apologético, por Pedro Manero en Zaragoza, 1644 y 1656 en 4.<sup>o</sup>. *Pallium* ó la capa, por Stephano Ubaui en Madrid, 1631. *De testimonio animæ, ad Scapulam, ad Martyres, de Patientia, de ornatu mulierum*, en Barcelona, 1639, en 8.<sup>o</sup>, y tambien el *Pallium* en 1658, por José Pellicer, quien tenía prontas para su publicacion otras dos de las tres partes, en que había distribuido quince libros de Tertuliano.

La Colección de apologistas cristianos del Abate Gourci, traducida por D. Manuel Jimeno Urrieta, en Madrid, 1792 en 4.<sup>o</sup> contiene á Tertuliano y Minucio Felix.

S. Ambrosio. Los oficios, por Diego Gracian de Alderete en Salamanca, 1554 en folio. *De fuga sæculi y de bono mortis*, por D. Alonso Carrillo, en Madrid, 1611.

S. Jerónimo. Las epistolas, por Juan de Molina en Valencia 1526 en fol.; y las selectas, por Francisco López de Cuesta en Madrid, 1613 en 4.<sup>o</sup>; 1617 en 8.<sup>o</sup>, y tambien en 1664 ó 1665.

S. Agustín. *De civitate Dei*, por Antonio Rois y Rozas en Madrid, 1614, en fol. y en Amberes, 1676, y por Diego de Yépes. MS.

Las confesiones, por Sebastian Toscano en Amberes, 1555, y en Colonia 1556; y por Pedro Rivadeneira en Madrid, en 1598, quedando inéditas las meditaciones y soliloquios y el Manual. Tradujeron asi mismo las confesiones. F. Francisco Antonio de Gante, dándolas á luz Fr. Juan Sierra en Madrid 1733 en 8.<sup>o</sup>; y tambien las hay por Fr. Eugenio Ceballos. Los suspiros, por Sancho Davila. Se cuenta tambien entre los traductores de S. Agustín á Gonzalo de Santa María.

Boecio. *De consolatione*, por Alberto de Aguayo en Sevilla, 1521 y 1530 en 4.<sup>o</sup>; por Alberto de Aguayo en Sevilla, 1521 y 1530, en 4.<sup>o</sup>; por Antonio Genebrada en Sevilla 1511, y por Agustín Lopez en Valladolid, 1598 y 1604 en fol.; y Ms. por Fr. Antonio de Jesus y María.

S. Gregorio. Los Morales, por Alfonso Alvarez de Toledo en Sevilla, 1513 en fol. y en Salamanca, 1534. El Pastoral, por Gregorio de Alfaro en Alcalá, 1601 en 4.<sup>o</sup>. Los Diálogos por Gonzalo de Ocaña en Sevilla, 1532 en folio.

S. Leandro. Instrucción y regla para su hermana, en Sevilla 1619 en 4.<sup>o</sup> por Martín de Roa; y en Valladolid, 1604 en 8.<sup>o</sup> por Prudencio de Sandoval.

S. Anselmo. Las meditaciones, por Juan Vazquez del Marmol en 1567 en 16.<sup>o</sup> en Valladolid.

S. Bernardo *De diligendo Deo, et de interiore domo*, por Benedito Alvarez, en Madrid, 1616 en 8.<sup>o</sup> *Ad sororem*, por Gabriel de Castellanos, en Valladolid, 1602, en 8.<sup>o</sup> Varias obras, por Fr. Juan Álvaro en Valencia. Algunos sermones, por Rodrigo Fernandez Santaella en Salamanca, 1615 en 4.<sup>o</sup>

S. Buenaventura. Soliloquios, por Domingo Biota, en Zaragoza, 1580, y en Lérida 1616 en 8.<sup>o</sup> Espejo de disciplina, por Mateo Botija en Murcia, 1625, y por Felipe Sosa, en Sevilla, 1574.

Santo Tomás. Los artículos de la 1.<sup>a</sup> parte. MS.

Julio Cesar. Comentarios, por Diego López de Toledo en Alcalá, 1529 en fol. y en Madrid 1621 en 4.<sup>o</sup>. Antes hubo otras dos ediciones suyas. Por Pedro García de Oliva en Toledo, 1570 en 8.<sup>o</sup>; Por un anónimo en París, 1549 en folio; por D. José Moya y Muniain, en Madrid, 1798 en 4.<sup>o</sup>; y por D. Manuel de Valbuena, en Madrid, 1798, la 2.<sup>a</sup> edición, en 8.<sup>o</sup>.

Corn. Nepote. Las vidas, por D. Rodrigo de Oviedo en Madrid, 1817 en 8.<sup>o</sup>.

Salustio. Por Vasco de Guzman: Emmanuel Sueiro en Amberes, 1615 en 8.<sup>o</sup> marquilla, y en Madrid, 1796 en 4.<sup>o</sup> la 3.<sup>a</sup> edición; por Francisco Vidal de Noya, en Logroño, 1529 en fol. y en Amberes, 1554; y por el infante D. Gabriel de Borbón, con la mayor propiedad, exactitud y elegancia, en Madrid, 1772 en fol. y 1804 en 8.<sup>o</sup>.

T. Livio. Décadas, por un anónimo en Colonia, 1553 en folio; por Fr. Pedro de Vega, en Madrid en 4.<sup>o</sup> corregido y aumentado por Arnoldo Birckman.

Veleyo Patérculo. Por Emmanuel Sueiro en Amberes, 1630 en 8.<sup>o</sup>.

Valerio Máximo. Por Hugo de Hurries, en Sevilla 1514: en Alcalá, 1529 en folio; en Zaragoza, 1595; y por Diego López, en Sevilla, 1631 en 4.<sup>o</sup> y en 1647. En 1514 se había ya hecho una edición anónima. Se hace también mención de la traducción MS. de un Anónimo.

Corn. Tacito. Los cinco primeros libros de los Anales, por Antonio de Herrera, en Madrid, 1615 en 4.<sup>o</sup>: todas las obras, por Baltasar Alamos y Barrientos en Madrid, 1614 en fol.: por Emmanuel Sueiro en Amberes, 1613 en 4.<sup>o</sup>: y por Carlos Colloma en Duaci, 1629 en 4.<sup>o</sup> y en Madrid, 1794 en 4.<sup>o</sup>. Los Anales ademas fueron traducidos con comentarios políticos por D. Juan Alonso de Lancina: El libro 1.<sup>o</sup> vió la luz pública en Madrid, 1607 en folio: no tenemos noticia de los otros cinco que dice, tenía ya compuestos.

Q. Curcio. Por Gabriel de Castañeda en 1534 en folio; por Cándido Decembre, en Sevilla, 1518 en folio; y por Mateo Ibáñez en Madrid, 1699, fol. y 1781 en 4.<sup>o</sup>.

Suetonio. Por Jaime Bartolomé, en Tarragona, 1596 en 8.<sup>o</sup>.

Floro. El compendio de T. Livio, por un anónimo, en Colonia, 1550.

Justino. Por Jorge de Bustamente, en Alcalá, 1540 en fol. y en Amberes, 1542, y 1586, y 1609 en 8.<sup>o</sup>.

Frontino. Por Diego Guillen de Avila.

Pomponio Mela. Por D. Jose Antonio Gonzalez, en Madrid, 1644 en 4°; y Luis Tribaldos de Toledo, en Madrid, 1642 en 8°.

Vegecio. *De re militari*, por Juan Venegas Quijada. MS.

J. Solino. Por Cristobal de las Casas, en Sevilla, 1573 en en 4.<sup>o</sup>

**Eutropio.** Por Amato Lusitano ó Juan Rodriguez de Castelbranco en el siglo 16; y por Juan Martin Cordero, en Ambelares 1561, en 8.<sup>o</sup>.

Panlo Orosio. Por Diego de Yepes, MS.

## ERRATAS.

<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Dice.</i>	<i>Debe decir.</i>
58.	13.	hzo	hizo
78.	24.	obejas	ovejas
85.	5.	<i>couspectus</i>	<i>conspectus</i>
88.	6.	propuesto	pospuesto
183.	11.	populares	populares
209.	29.	composiciones	composiciones
221.	6.	proscriptos	proscriptos
249.	29.	<i>tratatae</i>	<i>tractatae</i>
270.	19.	necesario	necesaria
298.	14 y 15.	<i>Greciaæ Floribus</i>	<i>Græciaæ floribus</i>
332.	28.	Santidad	santidad
344.	7.	y el pronto	y en el pronto
id.	20.	gobierno	gobierno
356.	9.	caráter	carácter
373.	31.	se muestra	se muestra Veleyo
374.	1.	se muestra	se manifiesta
382.	13.	insensiblemente	insensiblemente
396.	12.	Asinios	Asirios
398.	10.	reemplazado	reemplazado
400.	5.	estada	estaba
409.	21.	atribuyen	atribuyen
411.	13.	Valetiniano	Valentiniano
416.	4.	el periodo	periodo
XLIX.	31.	amaryllis	Amaryllis
id.	35.	lnpus	lupus
L.	20.	Amarylidis	Amaryllidis
LIII.	13.	moutes	montes
XCIX.	12.	qod	quod
CIII.	24.	Prhyx	Phryx
CIX.	21.	Hipolito	Hippolyto
CLVII.	8.	aprehendenda	apprehendenda
CLXV.	29.	CXII	XCII
CLXXXVIII.	10.	trascendere	transcendere
CCXXXIII.	34.	incolsulte	iuconsulte
338.	10.	se olvidó poner. Sección tercera. De la historia.	













PER  
CURSO  
DE LITERATURA  
LATINA



871  
PER  
CUR